VOL. LXXV SERIES VII AN. 1950 - FASC. IV

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

VINCENTIO FAGIOLO A Secretis
Off. S. C. De Disciplina Sacramentorum

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F. O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L. O. P., in Pont. Atheneo *Angelicum* Professor. Juris Cononici — BIDAGOR R. S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M. S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G. O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 1-XII-1950.

† Michaël Fontevecchia
Ep. Soran., Aquinat. et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIP. EDIT. M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Pii PP. XII

Constitutio Apostolica « Munificentissimus Deus » († A. FARES Archiep. Ep. Squillacen.) . . . . . Pag. 515

S. S. C. S. Officii

Decretum: Proscriptio Libri J. KLEIN, *Grundlegung und Grenzen des kanonischen Rechts* (L. BENDER O. P.) . . . . . » 537

Adnotationes ad Decreta diei 16 junii et 18 julii 1950 (*** — F. CARPINO) . . . . . » 541

Adnotationes ad Monitum diei 28 julii 1950. (A. CARDINI) . . » 545

S. C. Concilii

Adnotationes ad Decretum diei 29 julii 1950 (G. OESTERLE O. S. B.) » 549

S. C. De Propaganda Fide

Epistula qua renovantur particulares Facultates Ordinariis Missionum Americae Latinae (X. PAVENTI) . . . . . » 562

S. C. Rituum

Nova Missa in Assumptione B. Mariae V. approbatur . . . » 566

S. Paenitentiaria Apostolica

Decretum de precibus et piis operibus Indulgentiis ditatis, nova collectione (S. DE ANGELIS) . . . . . » 569

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

Tribunal Regionale Insubre

Mediolanen. Nullitatis Matrimonii ex capite exclusionis boni fidei et Sacramenti . . . . . » 579

STUDIA ET CONSULTATIONES

A. HERMAN S. J. - De novissima lege processuali Ecclesiae Orientalis edita Motu Proprio « De Judiciis » . . . . . » 599

V. F. - De sepultura ecclesiastica communistarum . . . . » 621

C. BAISI - De hospitiis paroecialibus vulgo « Case della Carità » . » 629

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

Modifiche ai provvedimenti legislativi per le riparazioni degli edifici di culto. . . . . Pag. 633

Matrimonio Sottufficiali e Militari di truppa delle Forze Armate . » 635

Congo Belga

Proibizione dei matrimoni poligamici . . . . . » 635

Polonia

Nuovo regime dei beni ecclesiastici . . . . . » 636

Repubblica di S. Marino

La legislazione matrimoniale della Repubblica di S. Marino nel diritto vigente e *in jure condendo* (Prof. Avv. G. LENTI) . . » 637

France

Les ministres du culte catholique au regard de la législation de la sécurité sociale (P. ARRIGHI) . . . . . » 644

Hispania

Conventiones inter Sanctam Sedem et Gubernium Hispanicum (Prof. L. DE ECHEVERRIA) . . . . . » 652

RECENSIONES

P. CIRLA, *Matrimonio e Lavoro*, (A. PUGLIESE) . . . . . » 681

A. CANCE, *Le Code de Droit Canonique* (C. L.) . . . . . » 681

J. BOUDON, *Memento canonique et pratique pour l'usage du privilège paulin* (C. L.) . . . . . » 682

A. MARTIN, *Le Mariage. Précis théologique et canonique* (C. L.) . » 682

R. NAZ. *Traité de Droit Canonique* (C. L.) . . . . . » 683

R. NAZ. *Dictionnaire de Droit Canonique*, Fasc. XXIII: *D'Argentré-Disparité du culte* (C. L.) . . . . . » 684

R. NAZ. *Dictionnaire de Droit Canonique*, Fasc. XXIII: *Disparité du culte-Droits acquis* (C. L.) . . . . . » 684

E. JOMBART, *Manuel de Droit Canonique* (C. L.) . . . . . » 685

Directorium Seminariorum (in Sinis), auctoribus Missionariis Congregationis Immaculati Cordis Mariae (Scheut) (X. PAVENTI) . . » 685

Errata - Corrige . . . . . » 687

INDEX GENERALIS Vol. LXX (1950) . . . . . » 689

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1950_75_4

CONSTITUTIO APOSTOLICA

QUA FIDEI DOGMA DEFINITUR
DEIPARAM VIRGINEM MARIAM CORPORE ET ANIMA
FUISSE AD CAELESTEM GLORIAM ASSUMPTAM

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Munificentissimus Deus, qui omnia potest, cuiusque providentiae consilium sapientia et amore constat, arcano suae mentis proposito populorum singulorumque hominum dolores intersertis temperat gaudiis, ut, diversis rationibus diversisque modis, ipsum diligentibus omnia cooperentur in bonum (Cfr. *Rom.* 8, 28).

Iamvero Pontificatus Noster, quemadmodum praesens aetas, tot curis, sollicitudinibus angoribusque premitur ob gravissimas calamitates ac multorum a veritate virtuteque aberrationes; cernere tamen magno Nobis solacio est, dum catholica fides publice actuoseque manifestatur, pietatem erga Deiparam Virginem vigere ac fervescere cotidie magis, ac fere ubique terrarum melioris sanctiorisque vitae praebere auspicia. Quo fit ut, dum Beatissima Virgo sua materna munia pro Christi sanguine redemptis amantissime explet, filiorum mentes animique ad studiosiorem eius privilegiorum contemplationem impensius excitentur.

Deus reapse, qui ex omni aeternitate Mariam Virginem propensissima singularique intuetur voluntate, « ubi venit plenitudo temporis » (*Galat.* 4, 4), providentiae suae consilium ita ad effectum deduxit, ut quae privilegia, quas praerogativas liberalitate summa eidem concesserat, eadem perfecto quodam concentu refulgerent. Quodsi summam eiusmodi liberalitatem perfectumque gratiarum concentum Ecclesia semper agnovit ac per saeculorum decursum cotidie magis pervestigavit, nostra tamen aetate privilegium illud corporeae in Caelum Assumptionis Deiparae Virginis Mariae clariore luce profecto enituit.

Quod quidem privilegium, cum Decessor Noster imm. mem. Pius IX almae Dei Parentis immaculatae conceptionis dogma

sollemniter sanxit, tum novo quodam fulgore illuxit. Arctissime enim haec duo privilegia inter se conectuntur. Christus quidem peccatum et mortem propria sua morte superavit; et qui per baptismum superno modo iterum generatus est, per eumdem Christum peccatum et mortem vicit. Attamen plenum de morte victoriae effectum Deus generali lege iustis conferre non vult, nisi cum finis temporum advenerit. Itaque iustorum etiam corpora post mortem resolvuntur, ac novissimo tandem die cum sua cuiusque gloriosa anima coniungentur.

Verumtamen ex generali eiusmodi lege Beatam Virginem Mariam Deus exemptam voluit. Quae quidem, singulari prorsus privilegio, immaculata conceptione sua peccatum devicit, atque adeo lege illi permanendi in sepulcri corruptione obnoxia non fuit, neque corporis sui redemptionem usque in finem temporum exspectare debuit.

Ideo cum sollemniter sancitum fuit Deiparam Virginem Mariam hereditaria labe immunem inde ab origine fuisse, tum christifidelium animi incensiore quadam spe permoti fuere, futurum ut a supremo Ecclesiae Magisterio dogma quoque corporeae Assumptionis Mariae Virginis in Caelum quamprimum definiretur.

Siquidem cernere fuit non modo singulos christifideles, sed eos quoque, qui Nationum vel ecclesiasticarum provinciarum quasi personam gererent, ac vel etiam non paucos Concilii Vaticani Patres hoc instanter ab Apostolica Sede postulare.

Decursu autem temporum huiusmodi postulationes ac vota, nedum remitterent, cotidie magis et numero et instantia succrevere. Etenim piae habitae sunt, hac de causa, precum contentiones; studia hac super re a pluribus eximiisque theologis vel privatim, vel in publicis ecclesiasticis Athenaeis et in ceteris scholis sacris disciplinis tradendis alacriter impenseque provecta; Conventus Mariales multis in catholici orbis partibus vel ex una tantum, vel ex pluribus Nationibus celebrati. Quae quidem studia pervestigationesque maiore in luce posuere in christianae fidei deposito, Ecclesiae concredito, dogma quoque contineri Assumptionis Mariae Virginis in Caelum; ac plerumque inde consecutae sunt postulationes, quibus ab Apostolica Sede suppliciter efflagitabatur, ut haec veritas sollemniter definiretur.

Hoc pio certamine christifideles miro quodam modo coniuncti fuere cum suis sacris Antistitibus; qui quidem eiusdem generis petitiones, numero profecto spectabiles, ad hanc divi Petri Cathedram miserunt. Propterea, cum ad Summi Pontificatus solium evecti fuimus, supplicationes eiusmodi ad milia bene multa ex quavis terrarum orbis parte et ex quovis civium ordine, ex Dilectis nempe Filiis Nostris Sacri Collegii Cardinalibus, ex Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ex Dioecesibus, atque ex paroeciis ad hanc Apostolicam Sedem iam delatae erant.

Quamobrem, dum impensas ad Deum admovimus preces, ut ad gravissimam hanc causam decernendam lumen Sancti Spiritus menti Nostrae impertiretur, peculiares edidimus normas, quibus iussimus ut collatis viribus severiora hac de re inirentur studia; atque interea petitiones omnes colligerentur accurateque perpenderentur, quae inde a Decessore Nostro fel. rec. Pio IX ad nostra usque tempora de Assumptione Beatae Mariae Virginis in Caelum ad Apostolicam hanc Sedem missae fuissent (*Petitiones de Assumptione corporea B. Virginis Mariae in caelum definienda ad S. Sedem delatae;* 2 vol., Typis Poliglottis Vaticanis, 1942).

Cum vero tanti momenti tantaeque gravitatis causa ageretur, opportunum duximus Venerabiles omnes in Episcopatu Fratres directo atque ex auctoritate rogare ut mentem cuiusque suam conceptis verbis Nobis aperire vellent. Quapropter die 1 mensis Mai, anno MDCCCCXXXXVI, Nostras ad eos dedimus Litteras « Deiparae Virginis Mariae », in quibus haec habebantur: « An vos, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra sapientia et prudentia censeatis: Assumptionem corpoream Beatissimae Virginis tamquam dogma fidei proponi et definiri posse, et an id cum clero et populo vestro exoptetis ».

Ii autem quos « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28), ad utramque quaestionem quod attinet, unanima fere voce assentientes responderunt. Haec « singularis catholicorum Antistitum et fidelium conspiratio » (Bulla *Ineffabilis Deus, Acta Pii IX*, p. I, vol. I, p. 615), qui Dei Matris autumant corpoream in Caelum Assumptionem ut fidei dogma definiri posse, cum concordem Nobis praebeat ordinarii Ecclesiae Magisterii doctrinam concordemque christiani populi

fidem — quam idem Magisterium sustinet ac dirigit — idcirco per semet ipsam ac ratione omnino certa ab omnibusque erroribus immuni manifestat eiusmodi privilegium veritatem esse a Deo revelatam in eoque contentam divino deposito, quod Christus tradidit Sponsae suae fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum (Cfr. Conc. Vat. *De fide catholica*, cap. 4). Quod profecto Ecclesiae Magisterium non quidem industria mere humana, sed praesidio Spiritus veritatis (Cfr. *Io.* 14, 26), atque adeo sine ullo prorsus errore, demandato sibi munere fungitur revelatas adservandi veritates omne per aevum puras et integras; quamobrem eas intaminatas tradit, eisdem adiciens nihil, nihil ab iisdem detrahens. « Neque enim — ut Concilium Vaticanum docet — Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est ut, eo revelante, novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent » (Conc. Vat. Const. *De Ecclesia Christi*, cap. 4). Itaque ex ordinarii Ecclesiae Magisterii universali consensu certum ac firmum sumitur argumentum, quo comprobatur corpoream Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptionem — quam quidem, quoad caelestem ipsam « glorificationem » virginalis corporis almae Dei Matris, nulla humanae mentis facultas naturalibus suis viribus cognoscere poterat — veritatem esse a Deo revelatam, ideoque ab omnibus Ecclesiae filiis firmiter fideliterque credendam. Nam, ut idem Concilium Vaticanum asseverat: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (*De fide catholica*, cap. 3).

Communis huius fidei Ecclesiae varia inde a remotis temporibus per saeculorum decursum manifestantur testimonia, indicia atque vestigia; eademque fides luculentiores in dies lumine panditur.

Siquidem christifideles, suorum Pastorum institutione ac ductu, a Sacris Litteris didicere Virginem Mariam, per terrestrem suam peregrinationem, vitam egisse sollicitudinibus, angustiis, doloribus effectam; ac praeterea id evenisse, quod sanctissimus senex Simeon cecinerat, acutissimum nempe gladium cor eius transverberasse ad Divini sui Nati crucem nostrique

Redemptoris. Parique modo haud difficile iisdem fuit assentiri magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenam suum, ex hac vita decessisse. Hoc tamen minime prohibuit quominus palam crederent ac profiterentur sacrum eius corpus sepulcri corruptioni obnoxium fuisse numquam, numquam augustum illud Divini Verbi tabernaculum in tabem, in cinerem resolutum fuisse. Quin immo, divina collustrati gratia pietateque erga eam permoti, quae Dei Parens est suavissimaque Mater nostra, clariore cotidie luce mirabilem illam privilegiorum concordiam ac cohaerentiam contemplati sunt, quae Providentissimus Deus almae huic Redemptoris nostri sociae impertiit, et quae talem attigere celsissimum verticem, qualem praeter ipsam nemo a Deo creatus, excepta humana Iesu Christi natura, assecutus est umquam.

Hanc eamdem fidem innumera illa templa manifesto testantur, quae in honorem Mariae Virginis Caelo receptae Deo dicata fuere; itemque sacrae illae imagines inibi christifidelium venerationi propositae, quae singularem eiusmodi Beatae Virginis triumphum ante omnium oculos efferunt. Urbes praeterea, dioeceses ac regiones peculiari tutelae ac patrocinio Deiparae Virginis ad Caelum evectae fuere concreditae; parique modo religiosa Instituta, probante Ecclesia, excitata sunt, quae quidem ex eiusmodi privilegio nomen accipiunt. Neque silentio praetereundum est in mariali rosario, cuius recitationem Apostolica haec Sedes tantopere commendat, unum haberi mysterium, piae meditationi propositum, quod, ut omnes norunt, de Assumptione agit Beatae Virginis in Caelum.

Universali autem ac splendidiore modo haec sacrorum Pastorum ac christifidelium fides tum manifestatur, cum inde ab antiquis temporibus in Orientis et in Occidentis regionibus liturgica sollemnia hac de causa celebrantur; hinc enim Sancti Ecclesiae Patres atque Doctores lucem haurire numquam praetermisere, quandoquidem, ut omnibus in comperto est, sacra Liturgia, « cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae supremo Ecclesiae Magisterio subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput » (Litt. Enc. *Mediator Dei, A. A. S.* vol. XXXIX, p. 541).

In liturgicis libris, qui festum referunt vel *Dormitionis*, vel *Assumptionis Sanctae Mariae*, dictiones habentur, quae concordi quodam modo testantur, cum Deipara Virgo ex hoc terrestri exsilio ad superna pertransiit, sacro eius corpori ex Providentis Dei consilio ea contigisse, quae cum Incarnati Verbi Matris dignitate consentanea essent cum ceterisque privilegiis eidem impertitis. Haec, ut praeclaro utamur exemplo, in *Sacramentario* asseverantur, quod Decessor Noster imm. mem. Hadrianus I ad Imperatorem misit Carolum Magnum. In eo enim haec habentur: « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genetrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum » (*Sacramentarium Gregorianum*).

Quod vero heic verborum illa temperantia indicatur, qua Romana Liturgia uti solet, in ceteris vel orientalis. vel occidentalis antiquae Liturgiae voluminibus luculentius ac fusius declaratur. *Sacramentarium Gallicanum*, ut unum in exemplum afferamus, hoc Mariae privilegium dicit « inexplicabile sacramentum, tanto magis praeconabile, quanto est inter homines assumptione Virginis singulare ». Atque in Byzantina Liturgia corporea Mariae Virginis Assumptio non modo cum Dei Matris dignitate etiam atque etiam conectitur, sed cum aliis quoque privilegiis, peculiarique ratione cum virginea eius maternitate, singulari Providentis Dei consilio praestituta: « Tibi rex rerum omnium Deus ea, quae supra naturam sunt, tribuit; sicut enim in partu te virginem custodivit, sic et in sepulcro corpus tuum incorruptum servavit, et per divinam translationem conglorificavit » (*Menaei totius anni*).

Quod autem Apostolica Sedes, quae muneris est heres, Apostolorum Principi concrediti, in fide confirmandi fratres (Cfr. *Luc.* 22, 32), sollemniorem in dies auctoritate sua eiusmodi celebrationem reddidit, id profecto studiosam christifidelium mentem efficaciter permovit ad magis cotidie magisque huius commemorati mysterii gravitatem considerandam. Itaque Assumptionis festum ex illo honoris gradu, quem in ceteris Marialibus celebrationibus inde ab initio obtinuerat, ad sollemniorum celebrationum ordinem totius liturgici cycli evectum fuit. Ac Decessor Noster S. Sergius I, cum Litaniam seu Processio-

nem Stationalem, quae dicitur, in quattuor Marialibus celebrationibus habendas praescriberet, una simul festum *Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis* ac *Dormitionis* Mariae Virginis enumerat (*Liber Pontificalis*). Deinceps vero S. Leo IV festum, quod iam titulo Assumptionis Beatae Genetricis Dei celebrabatur, sollemniore etiam modo recolendum curavit, cum pervigilium ante habendum iuberet, postea vero supplicationes in octavum diem; atque ipsemet, hanc opportunitatem libenter nactus, ingenti stipatus multitudine sollemnes eiusmodi celebrationes participare voluit (Ibid.). Ac praeterea pridie huius diei sacrum habendum ieiunium iam antiquitus fuisse praeceptum, ex iis omnino patet, quae Decessor Noster S. Nicolaus I testatur, cum de praecipuis ieiuniis agit, « quae... sancta Romana suscepit antiquitus et tenet Ecclesia » (*Responsa Nicolai Papae I ad consulta Bulgarorum*).

Quandoquidem vero Ecclesiae Liturgia catholicam non gignit fidem, sed eam potius consequitur, ex eaque, ut ex arbore fructus, sacri cultus ritus proferuntur, idcirco Sancti Patres magnique Doctores in homiliis orationibusque, quas hoc festo die ad populum habuere, non hinc veluti ex primo fonte, eiusmodi doctrinam hauserunt, sed de ea potius, utpote christifidelibus iam nota atque accepta, locuti sunt; eamdem luculentius declararunt; eius sensum atque rem altioribus rationibus proposuere, id praesertim in clariore collocantes luce, quod liturgici libri saepenumero presse breviterque attigerant: hoc nempe festo non solummodo Beatae Virginis Mariae nullam habitam esse exanimis corporis corruptionem commemorari, sed eius etiam ex morte deportatum triumphum, eiusque caelestem « glorificationem », ad Unigenae sui exemplum Iesu Christi.

Itaque S. Ioannes Damascenus, qui prae ceteris eximius traditae huius veritatis praeco exstat, corpoream almae Dei Matris Assumptionem cum aliis eius dotibus ac privilegiis comparans, haec vehementi eloquentia edicit: « Oportebat eam, quae in partu illaesam servaverat virginitatem, suum corpus sine ulla corruptione etiam post mortem conservare. Oportebat eam, quae Creatorem ut puerum in sinu gestaverat, in divinis tabernaculis commorari. Oportebat sponsam, quam Pater desponsaverat, in thalamis caelestibus habitare. Oportebat eam, quae Filium suum in cruce conspexerat, et, quem pariendo effugerat

doloris gladium, pectore exceperat, ipsum Patri considentem contemplari. Oportebat Dei Matrem ea, quae Filii sunt, possidere et ab omni creatura tamquam Dei Matrem et ancillam excoli » (S. Ioan. Damasc. *Encomium in Dormitionem Dei Genitricis semperque Virginis Mariae*, hom. II, 14; Cfr. etiam ibid. n. 3).

Haec quidem S. Ioannis Damasceni vox aliorum vocibus, eamdem asseverantium doctrinam, fideliter respondet. Etenim haud minus clarae accurataeque dictiones in orationibus illis inveniuntur, quas vel superioris vel eiusdem aevi Patres, per occasionem plerumque huius festi, habuere. Itaque, ut aliis utamur exemplis, S. Germanus Constantinopolitanus corpus Deiparae Virginis Mariae incorruptum fuisse et ad Caelum evectum non modo cum divina eius maternitate consentaneum putabat, sed etiam cum peculiari sanctitate eiusdem virginalis corporis: « Tu, secundum quod scriptum est, « in pulchritudine » appares; et corpus tuum virginale totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium; ita ut ex hoc etiam a resolutione in pulverem deinceps sit alienum; immutatum quidem, quatenus humanum, ad excelsam incorruptibilitatis vitam; idem vero vivum atque praegloriosum, incolume atque perfectae vitae particeps » (S. Germ. Const. *In Sanctae Dei Genitricis Dormitionem*, sermo I). Alius vero antiquissimus scriptor asseverat: « Igitur ut gloriosissima Mater Christi Salvatoris nostri Dei, vitae et immortalitatis largitoris, ab ipso vivificatur, in aeternum concorporea in incorruptibilitate, qui illam a sepulcro suscitavit et ad seipsum assumpsit, ut ipse solus novit » (*Encomium in Dormitionem Sanctissimae Dominae nostrae Deiparae semperque Virginis Mariae* [S. Modesto Hierosol. attributum], n. 14).

Cum autem hoc liturgicum festum latius in dies impensioreque pietate celebraretur, Ecclesiae Antistites ac sacri oratores, crebriore usque numero, officii sui esse duxerunt aperte ac nitide explanare mysterium, quod eodem hoc festo recolitur, atque edicere illud esse cum ceteris revelatis veritatibus coniunctissimum.

In scholasticis theologis non defuere qui, cum in veritates divinitus revelatas altius introspicere vellent, atque illum praebere cuperent concentum, qui inter rationem theologicam, quae dicitur, ac catholicam intercedit fidem, animadvertendum pu-

tarent hoc Mariae Virginis Assumptionis privilegium cum divinis veritatibus miro quodam modo concordare, per Sacras Litteras nobis traditis.

Cum hinc ratiocinando proficiscerentur, varia protulere argumenta, quibus mariale eiusmodi privilegium illustrarent, quorum quidem argumentorum quasi primum elementum hoc esse asseverabant, Iesum Christum nempe, pro sua erga Matrem pietate, eam voluisse ad Caelum assumptam; eorumdem vero argumentorum vim incomparabili inniti dignitate eius divinae maternitatis atque etiam eorum omnium munerum, quae eam consequuntur; quae quidem sunt insignis eius sanctitas, omnium hominum angelorumque sanctitudinem exsuperans; intima Mariae cum Filio suo coniunctio; ac praecipuae illius dilectionis affectus, quae Filius dignissimam Matrem suam prosequebatur.

Ac saepenumero theologi occurrunt oratoresque sacri, qui Sanctorum Patrum vestigiis insistentes (Cfr. S. Ioan. Damasc. *Encomium in Dormitionem Dei Genitricis semperque Virginis Mariae,* hom. II, 2, 11; *Encomium in Dormitionem* [S. Modesto Hierosol. attributum]), ut suam illustrent Assumptionis fidem, quadam usi libertate, eventus ac verba referunt, quae a Sacris Litteris mutuantur. Itaque, ut nonnulla tantum memoremus, quae hac de re saepius usurpantur, sunt qui Psaltae sententiam inducant: « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et Arca sanctificationis tuae » (*Ps. 131,* 8); atque *Arcam foederis*. incorruptibili ligno instructam atque in Dei templo positam, quasi imaginem cernant purissimi Mariae Virginis corporis, ab omni sepulcri corruptione servati immunis, atque ad tantam in Caelo gloriam evecti. Parique modo, hac de re agentes, Reginam describunt in regiam Caelorum aulam per triumphum ingredientem ac dextero Divini Redemptoris assidentem lateri (*Ps. 44,* 10, 14-16); itemque Canticorum Sponsam inducunt, « quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrae et thuris », ut corona redimiatur (*Cant.* 3, 6; cfr. 4, 8; 6, 9). Quae quidem ab iisdem veluti imagines proponuntur caelestis illius Reginae, caelestisque Sponsae, quae una cum Divino Sponso ad Caelorum aulam evehitur.

Ac praeterea scholastici doctores non modo in variis Veteris Testamenti figuris, sed in illa etiam Muliere amicta sole,

quam Ioannes Apostolus in insula Patmo (*Apoc.* 12, 1 sq.) contemplatus est, Assumptionem Deiparae Virginis significatam viderunt. Item ex Novi Testamenti locis haec verba peculiari cura considerationi proposuere suae: « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus » (*Luc.* 1, 28), cum in Assumptionis mysterio complementum cernerent plenissimae illius gratiae, Beatae Virgini impertitae, singularemque benedictionem maledictioni Hevae adversantem.

Eam ob rem, sub Scholasticae Theologiae initio vir piissimus Amedeus Lausannensis Episcopus affirmat Mariae Virginis carnem incorruptam permansisse; — neque enim credi fas est corpus eius vidisse corruptionem — cum revera animae suae iterum coniunctum fuerit, atque una cum ea in caelesti aula excelsa redimitum gloria. « Erat namque plena gratia et in mulieribus benedicta (*Luc.* 1, 28). Deum verum de De vero sola meruit concipere, quem virgo peperit, virgo lactavit, fovens in gremio, eique in omnibus almo ministravit obsequio » (Amedeus Lausannensis, *De Beatae Virginis obitu, Assumptione in Caelum, exaltatione ad Filii dexteram*).

In sacris vero scriptoribus, qui eo tempore Divinarum Litterarum sententiis variisque similitudinibus seu analogiis usi, Assumptionis doctrinam, quae pie credebatur, illustrarunt ac confirmarunt, peculiarem locum obtinet Doctor Evangelicus S. Antonius Patavinus. Is enim, festo Assumptionis die, haec Isaiae prophetae verba interpretatus: « locum pedum meorum glorificabo » (*Is.* 60, 13), modo certo asseveravit a Divino Redemptore Matrem suam dilectissimam, ex qua humanam sumpserat carnem, summa ornatam fuisse gloria. « Per hoc aperte habes — ita ait — quod Beata Virgo in corpore, quo fuit locus pedum Domini, est assumpta ». Quamobrem sacer Psaltes scribit: « Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et Arca sanctificationis tuae ». Quemadmodum, ita ipse asserit, Iesus Christus ex triumphata morte resurrexit atque ad dexteram sui Patris ascendit, ita pariter « surrexit et Arca sanctificationis suae, cum in hac die Virgo Mater ad aethereum thalamum est assumpta » (S. Antonius Patav. *Sermones dominicales et in solemnitatibus. In Assumptione S. Mariae Virginis sermo*).

Cum autem, media aetate, Theologia Scholastica maxime floreret, S. Albertus Magnus, variis ad rem probandam collatis

argumentis, quae vel Sacris Litteris, vel sententiis a maioribus traditis, vel denique Liturgia rationeque theologica, quae dicitur, innituntur, ita concludit: « His rationibus et auctoritatibus et multis aliis manifestum est, quod Beatissima Dei Mater in corpore et anima super choros Angelorum est assumpta. Et hoc modis omnibus credimus esse verum » (S. Albertus Magnus, *Mariale sive quaestiones super Evang.* « *Missus est* » q. 132). In oratione vero, quam die Annunciationi sacro Beatae Mariae Virginis habuit, haec Angeli salutantis verba explanans: « Ave, gratia plena... », Doctor Universalis, dum Hevae Sanctissimam Virginem comparat, hanc clare significanterque asseverat quadruplici illa maledictione fuisse immunem, cui Heva obnoxia fuit (Idem, *Sermones de sanctis*, sermo 15: *In Annuntiatione B. Mariae;* cfr. etiam *Mariale*, q. 132).

Doctor Angelicus, insignis magistri sui vestigia premens; quamvis dedita opera eiusmodi quaestionem numquam agitaverit, quotiescumque tamen per occasionem eam attingit, una cum Catholica Ecclesia constanter retinet cum Mariae anima eius corpus in Coelum fuisse assumptum (Cfr. *Summa Theol.* 3, q. 27, a. 1 c.; ibid. q. 83, a. 5 ad 8; *Expositio salutationis angelicae; In symb. Apostolorum expositio*, art. 5; *In IV Sent.* D. 12, q. 1, art. 3, sol. 3; D. 43, q. 1, art. 3, sol. 1 et 2).

Eamdem sententiam amplectitur, in multis aliis, Doctor Seraphicus, qui quidem pro certo omnino habet, quemadmodum Deus Mariam Sanctissimam, sive concipientem, sive parientem, virginalis pudoris virginalisque integritatis violatione immunem servavit, sic minime permisisse ut eius corpus in tabem, in cinerem resolveretur (Cfr. S. Bonaventura, *De Nativitate B. Mariae Virginis*, sermo 5). Haec Sacrae Scripturae verba interpretans, eademque sensu quodam accommodato Beatae Virgini tribuens: « Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum » (*Cant.* 8, 5) ita arguit: « Et hinc constare potest quod corporaliter ibi est... Cum enim... beatitudo non esset consummata nisi personaliter ibi esset, et persona non sit anima, sed coniunctum, patet quod secundum coniunctum, id est corpus et animam, ibi est: alioquin consummatam non haberet fruitionem » (S. Bonaventura, *De Assumptione B. Mariae Virginis*, sermo 1).

Sera autem Scholasticae Theologiae aetate, hoc est saeculo XV, S. Bernardinus Senensis ea omnia, quae medii aevi theologi hac super causa edixerant ac disceptaverant, summatim colligens ac diligenter retractans, non satis habuit praecipuas eorum referre considerationes, quas superioris temporis doctores iam proposuerant, sed alias etiam adiecit. Similitudo nempe divinae Matris divinique Filii, ad animi corporisque nobilitatem dignitatemque quod attinet — ob quam quidem similitudinem ne cogitare quidem possumus caelestem Reginam a caelesti Rege separari — omnino postulat ut Maria « esse non *debeat*, nisi ubi est Christus » (S. Bernardinus Senens. *In Assumptione B. M. Virginis*, sermo 2); ac praeterea rationi congruens et consentaneum est, quemadmodum hominis, ita etiam mulieris animam ac corpus sempiternam iam gloriam in Caelo assecuta esse; ac denique idcirco quod numquam Ecclesia Beatae Virginis exuvias requisivit ac populi cultui proposuit, argumentum praebetur, quod « quasi sensibile experimentum » (Idem, l. c.) referri potest.

Recentioribus vero temporibus, quas supra rettulimus, Sanctorum Patrum Doctorumque sententiae communi in usu fuere. Consensum christianorum amplectens, a superioribus aetatibus traditum, S. Robertus Bellarminus exclamavit: « Et quis, obsecro, credere posset, arcam sanctitatis, domicilium Verbi, templum Spiritus Sancti corruisse? Exhorret plane animus meus vel cogitare carnem illam virgineam, quae Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam, vel in escam vermibus traditam » (S. Robertus Bellarminus, *Conciones habitae Lovanii*, concio 40: *De Assumptione B. Mariae Virginis*).

Parique modo S. Franciscus Salesius, postquam asseveravit dubitare fas non esse Iesum Christum perfectissimo modo divinum mandatum, quo filii iubentur proprios honorare parentes, ad rem deduxisse, hanc sibi quaestionem proponit: « Quinam filius, si posset, matrem suam ad vitam non revocaret, atque eam post mortem in Paradisum non adduceret? » (*Oeuvres de St. François de Sales*, Sermon autographe pour la fête de l'Assomption). Ac S. Alfonsus scribit: « Iesus Mariae corpus post mortem corrumpi noluit, cum in suum dedecus redundaret virginalem eius carnem in tabem redigi, ex qua suam ipse-

met carnem assumpserat » (S. Alfonso M. de' Liguori, *Le glorie di Maria*, parte 2, disc. 1).

Cum vero mysterium, quod hoc festo celebratur, iam in sua luce positum esset, haud defuere doctores, qui, potius quam de theologicis argumentis agerent, quibus demonstraretur conveniens omnino ac consentaneum esse corpoream credere Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptionem, mentem animumque suum ad ipsam converterent Ecclesiae fidem, mysticae Christi Sponsae non habentis maculam aut rugam (Cfr. *Eph.* 5, 27) quae quidem ab Apostolo nuncupatur « columna et firmamentum veritatis » (1 *Tim.* 3, 15); atque communi hac fide innixi, contrariam sententiam temerariam putarent, ne dicamus haereticam. Siquidem, ut alii non pauci, S. Petrus Canisius, postquam declaravit ipsum Assumptionis vocabulum non modo animae, sed corporis etiam « glorificationem » significare, atque Ecclesiam multis iam saeculis hoc mariale Assumptionis mysterium venerari ac celebrare sollemniter, haec animadvertit: « Quae sententia iam saeculis aliquot obtinet, ac piorum animis infixa totique Ecclesiae sic commendata est, ut qui Mariae corpus in Caelum negant assumptum, ne patienter quidem audiantur, sed velut nimium contentiosi, aut prorsus temerarii, et haeretico magis quam catholico spiritu imbuti homines passim exsibilentur » (S. Petrus Canisius, *De Maria Virgine*).

Eodem tempore Doctor Eximius, cum hanc de mariologia profiteretur normam, nempe « mysteria gratiae, quae Deus in Virgine operatus est, non esse ordinariis legibus metienda, sed divina omnipotentia, supposita rei decentia, absque ulla Scripturarum contradictione aut repugnantia » (Suarez F. *In tertiam partem D. Thomae*, quaest. 27, art. 2, disp. 3 sec. 5, n. 31), universae Ecclesiae communi fretus fide, ad Assumptionis mysterium quod attinet, concludere poterat hoc idem mysterium eadem animi firmitate credendum esse, ac Immaculatam Conceptionem B. Virginis; iamque tum autumabat veritates eiusmodi definiri posse.

Haec omnia Sanctorum Patrum ac theologorum argumenta considerationesque Sacris Litteris, tamquam ultimo fundamento, nituntur; quae quidem almam Dei Matrem nobis veluti ante oculos proponunt divino Filio suo coniunctissimam, eiusque semper participantem sortem. Quamobrem quasi impossibile vi-

detur eam cernere, quae Christum concepit, peperit, suo lacte aluit, eumque inter ulnas habuit pectorique obstrinxit suo, ab eodem post terrestrem hanc vitam, etsi non anima, corpore tamen separatam. Cum Redemptor noster Mariae Filius sit, haud poterat profecto, utpote divinae legis observator perfectissimus, praeter Aeternum Patrem, Matrem quoque suam dilectissimam non honorare. Atqui, cum eam posset tam magno honore exornare, ut eam a sepulcri corruptione servaret incolumem, id reapse fecisse credendum est.

Maxime autem illud memorandum est, inde a saeculo II, Mariam Virginem a Sanctis Patribus veluti novam Hevam proponi novo Adae, etsi subiectam, arctissime coniunctam in certamine illo adversus inferorum hostem, quod, quaemadmodum in protoevangelio (*Gen.* 3, 15) praesignificatur, ad plenissimam deventurum erat victoriam de peccato ac de morte, quae semper in gentium Apostoli scriptis inter se copulantur (Cfr. *Rom.* cap. 5 et 6; *1 Cor.* 15, 21-26; 54-57). Quamobrem, sicut gloriosa Christi anastasis essentialis pars fuit ac postremum huius victoriae tropaeum, ita Beatae Virginis commune cum Filio suo certamen virginei corporis « glorificatione » concludendum erat; ut enim idem Apostolus ait, « cum... mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria » (*1 Cor.* 15, 54).

Idcirco augusta Dei Mater, Iesu Christo, inde ab omni aeternitate, « uno eodemque decreto » (Bulla *Ineffabilis Deus*, l. c. p. 599) praedestinationis, arcano modo coniuncta, immaculata in suo conceptu, in divina maternitate sua integerrima virgo, generosa Divini Redemptoris socia, qui plenum de peccato eiusque consectariis deportavit triumphum, id tandem assecuta est, quasi supremam suorum privilegiorum coronam, ut a sepulcri corruptione servaretur immunis, utque, quemadmodum iam Filius suus, devicta morte, corpore et anima ad supernam Caeli gloriam eveheretur, ubi Regina refulgeret ad eiusdem sui Filii dexteram, immortalis saeculorum Regis (Cfr. *1 Tim.* 1, 17).

Quoniam igitur universa Ecclesia, in qua viget Veritatis Spiritus, qui quidem eam ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem infallibiliter dirigit, multipliciter per saeculorum decursum suam fidem manifestavit, et quoniam universi terrarum orbis Episcopi prope unanima consensione petunt, ut

tamquam divinae et catholicae fidei dogma definiatur veritas corporeae Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae in Caelum — quae veritas Sacris Litteris innititur, christifidelium animis penitus est insita, ecclesiastico cultu inde ab antiquissimis temporibus comprobata, ceteris revelatis veritatibus summe consona, theologorum studio, scientia ac sapientia splendide explicata et declarata — momentum Providentis Dei consilio praestitutum iam advenisse putamus, quo insigne eiusmodi Mariae Virginis privilegium sollemniter renuntiemus.

Nos, qui Pontificatum Nostrum peculiari Sanctissimae Virginis patrocinio concredidimus, ad quam quidem in tot tristissimarum rerum vicibus confugimus, Nos, qui Immaculato eius Cordi universum hominum genus publico ritu sacravimus, eiusque praesidium validissimum iterum atque iterum experti sumus, fore omnino confidimus ut sollemnis haec Assumptionis pronuntiatio ac definitio haud parum ad humanae consortionis profectum conferat, cum in Sanctissimae Trinitatis gloriam vertat, cui Deipara Virgo singularibus devincitur vinculis. Futurum enim sperandum est ut christifideles omnes ad impensiorem erga caelestem Matrem pietatem excitentur; utque eorum omnium animi, qui christiano gloriantur nomine, ad desiderium moveantur Mystici Iesu Christi Corporis participandae unitatis, suique erga illam augendi amoris, quae in omnia eiusdem augusti Corporis membra maternum gerit animum. Itemque sperandum est ut gloriosa meditantibus Mariae exempla magis magisque persuasum sit quantum valeat hominum vita, si Caelestis Patris voluntati exsequendae omnino sit dedita ac ceterorum omnium procurando bono; ut, dum « materialismi » commenta et quae inde oritur morum corruptio, virtutis lumina submergere minantur, hominumque, excitatis dimicationibus, perdere vitas, praeclarissimo hoc modo ante omnium oculos plena in luce ponatur ad quam excelsam metam animus corpusque nostrum destinentur; ut denique fides corporeae Assumptionis Mariae in Caelum nostrae etiam resurrectionis fidem firmiorem efficiat, actuosiorem reddat.

Quod autem hoc sollemne eventum in Sacrum, qui vertitur, Annum Providentis Dei consilio incidit, Nobis laetissimum est; ita enim Nobis licet, dum Iubilaeum Maximum celebratur, fulgenti hac gemma Deiparae Virginis frontem exornare, ac mo-

numentum relinquere aere perennius incensissimae Nostrae in Dei Matrem pietatis.

Quapropter, postquam supplices etiam atque etiam ad Deum admovimus preces, ac Veritatis Spiritus lumen invocavimus, ad Omnipotentis Dei gloriam, qui peculiarem benevolentiam suam Mariae Virgini dilargitus est, ad sui Filli honorem, immortalis saeculorum Regis ac peccati mortisque victoris, ad eiusdem augustae Matris augendam gloriam et ad totius Ecclesiae gaudium exsultationemque, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra pronuntiamus, declaramus et definimus divinitus revelatum dogma esse: Immaculatam Deiparam semper Virginem Mariam, expleto terrestris vitae cursu, fuisse corpore et anima ad caelestem gloriam assumptam.

Quamobrem, si quis, quod Deus avertat, id vel negare, vel in dubium vocare voluntarie ausus fuerit, quod a Nobis definitum est, noverit se a divina ac catholica fide prorsus defecisse.

Ut autem ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra corporeae Mariae Virginis in Caelum Assumptionis definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Litteras ad perpetuam rei memoriam exstare voluimus; mandantes ut harum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronuntiationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Iubilaei Maximi millesimo nongentesimo quinquagesimo, die prima mensis Novembris, in festo omnium Sanctorum, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus
ita definiendo subscripsi.

ADNOTATIONES

I. Promulgatio constitutionis.

Die I^{a} Novembris Anni Maximi Jubilaei, Summus Pontifex Pius XII, plaudente toto orbe christiano, Purpuratorum Patrum atque fere sexcentorum inter Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos ex omnibus terrae partibus eximia circundatus corona, coram peregrinis ex omni natione quae sub coelo est et ingenti romani populi multitudine, solemniter dogma fidei definivit: Deiparam Virginem Mariam fuisse corpore et anima ad coelestem gloriam assumptam.

Post editam definitionem, eiusdem Pontificis decreto vivae vocis oraculo prolato promulgata est Consitutio Apostolica « Munificentissimus Deus » in qua definitio Assumptionis continetur. Hanc Constitutionem primo loco refert fasciculus A. A. S. nuperrime, die 4 novembris 1950 editus. (vol. XXXXII n. 15 p. 753 ss.).

II. Brevis constitutionis apostolicae expositio.

Quo melius perspiciatur connexio veritatum et valor argumentorum quae in hac Constitutione exponuntur, iuvabit ex ipsa schema generale doctrinae desumere.

1. Prologus: describitur munificentia Dei eiusque Providentiae qua in vita nostra Deus solet miscere gaudia fletibus; et gaudium est praecise ex fervore pietatis qui ubique manifestatur erga B. V. Mariam.

2. Profundior nostra aetate est consideratio privilegii Assumptionis iam ex lata de Immaculata Virginis Conceptione definitione dogmatica per Pium IX die 8 Decembris 1854.

Hinc « motus assumptionisticus » qui dicitur, cuius variae phases describuntur.

3. Apostolica Sedes intervenit, iubendo:

— ut studia accuratiora totius quaestionis fierent;

— ut petitiones ad Apostolicam Sedem per saeculum fere missae ederentur.

4. Pontifex demum statuit « directe et ex auctoritate » Sacrorum Antistites totius orbis catholici interrogare:

— quid sentirent de definibilitate Assumptionis B. M. V.

— an exoptarent ut ad definitionem deveniretur.

5. Responsio Episcoporum hoc modo describitur: « unanima fere voce assentientes responderunt ». Haec responsio est certum et firmum argumentum de origine revelata Assumptionis.

6. Fides hodierna Ecclesiae in ipsa Ecclesia semper fuit, licet

modo non semper explicito: huiusmodi fides patet per testimonia, indicia atque vestigia quae habentur in omnibus aetatibus.

7. Haec omnibus patent:

— ex ratione generali cultus exhibiti;

— ex liturgicis solemnitatibus;

— ex libris antiquarum liturgiarum;

— ex actis antiquissimis Sanctae Sedis, litaniam et ieiunium statuentis et confirmantis in pervigilio festi Assumptionis;

— ex illustrationibus in dies clarioribus obiecti festi Assumptionis a Sacrorum Antistitibus et ab oratoribus et scriptoribus occasione festivitatis Assumptionis; inter hos eminent:

— S. Ioannes Damascenus;

— S. Germanus Constantinopolitanus;

— S. Modestus (?) Hierosolymitanus;

— ex studio theologorum scholasticorum, qui rationes theologicas mysterii et adumbrationes eiusdem in Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti in lucem posuerunt; inter quos eminent:

— Amedeus Lausannensis;

— S. Antonius Patavinus, Doctor Evangelicus;

— S. Albertus Magnus;

— S. Thomas, Doctor Angelicus;

— S. Bonaventura, Doctor Seraphicus.

— S. Bernardinus Senensis.

Inter recentiores Doctores accensendi sunt:

— S. Robertus Bellarminus;

— S. Franciscus Salesius;

— S. Alfonsus M. De Ligorio;

— considerata doctrina Assumptionis in ordine ad sensum Ecclesiae, inter alios S. Petrus Canisius et Franciscus Suarez Doctor Eximius omnino excludunt sententiam Assumptioni contrariam.

8. In Sacra Scriptura quae dicuntur a Patribus et Theologis tamquam in suo fundamento innituntur:

— argumento globali: ex arctissima quae viget coniunctione inter B. V. Mariam et Christum Dominum in doloribus vitae et in corona gloriae;

— argumento speciali: ex parallelismo inter Mariam et Hevam: sicut Christus est novus Adam, teste S. Paulo, ita iam inde a saeculo II Maria exhibetur a Patribus tamquam nova Heva quae in victoria contra diabolum arctissime etiam unitur Christo: ergo etiam in glora, in qua habetur triumphus de morte. Immo in hoc habemus supremam privilegiorum Mariae coronam.

9. Conclusio: Ecclesia semper tenuit et tenet Assumptionem tamquam veritatem in deposito divinae revelationis comprehen-

sam; Ecclesia nunc petit ut solemniter hoc B. V. M. privilegium renuntietur; momentum divinae Providentiae pro hac definitione edenda advenisse putandum est.

Notanda est in hac conclusione enumeratio argumentorum circa doctrinam Assumptionis; haec veritas est:

— innixa Sacris Litteris;

— insita christifidelium animis;

— comprobata ecclesiastico cultu inde ab antiquissimis temporibus;

— consona ceteris veritatibus revelatis;

— explicata et declarata a theologis.

10. Cur hoc momentum proclamationis dogmatis Assumptionis est consilio divinae Providentiae praestitutum? Ex ratione historica, quam Pontifex sic exponit. Summus Pontifex, qui pontificatum suum concredidit patrocinio Virginis, qui universum hominum genus Immaculato Cordi B. V. M. sacravit, ex lata definitione sperat multa bona; inter quae sunt:

— incrementum pietatis in B. V. M.;

— reditus schismaticorum et haereticorum ad unitatem Ecclesiae;

— maior submissio fidelium voluntati Dei exemplo Virginis;

— horror in materialismum atheum ex consideratione destinationis aeternae animi et corporis nostri quam videmus iam in Virgine perfectam;

— fides firmior et actuosior in dogma de carnis nostrae futura resurrectione.

II. Laetitia magna est in Summo Pontifice eo quod in hoc Anno Jubilaei Maximi tempus inciderit definitionis Privilegii Virginis, erga quam incensissima pietate fertur.

12. Pars ultima definitionem continet quam his verbis complectitur: « Pronuntiamus, declaramus et definimus divinitus revelatum dogma esse: IMMMACULATAM DEIPARAM SEMPER VIRGINEM MARIAM, EXPLETO TERRESTRIS VITAE CURSU, FUISSE CORPORE ET ANIMA AD COELESTEM GLORIAM ASSUMPTAM ».

13. Sequitur statim censura de haeresi contra eos qui auderent vel negare vel in dubium revocare veritatem modo definitam.

Adduntur dispositiones et clausolae solitae ad habendum documentum authenticum huius Constitutionis. Ultimo loco ponitur: « Datum Romae, apud S. Petrum anno Iubilaei Maximi millesimo nongentesimo quinquagesimo, die prima Novembris, in festo omnium Sanctorum, Pontificatus Nostri anno duodecimo ».

14. Notanda est demum subscriptio Summi Pontificis, quae

ita se habet: « Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus, ita definiendo subscripsi ».

III. De valore dogmatico constitutionis « munificetissimus deus ».

Valor dogmaticus Constitutionis Apostolicae restringitur — uti evidens est — tantum ad verba definitoria quae supra integre retulimus. Omnia enim quae praecedunt vel subsequuntur definitoria verba pertinent ad historiam dogmatis Assumptionis declarandum, ad rationes opportunitatis ostendendas ex quibus ad definitionem deventum est, ad valorem argumentorum theologicorum in propria luce ponendum: sed minime pertinent ad ipsam essentiam dogmatis. Non erit hoc loco abs re ipsam definitionem latam breviter in suis elementis examinare, quae ad sequentia reduci possunt:

1. Agitur de dogmate divinitus revelato: est ergo veritas quam ipse Deus Ecclesiae manifestavit et quae ergo contineri debet ex toto in deposito divinae revelationis. Quomodo continetur? certo non explicite — secus definitio communiter loquendo lata non fuisset —; sed implicite: et hoc quod implicite continebatur in deposito fidei, paulatim factum est explicitum, sicut ex historia dogmatis supra relata ex Constitutione constat. Veritas Assumptionis est ergo formaliter in deposito fidei, sed implicite, et continetur potissime in fonte traditionis sacrae: innititur tantum in Sacra Scriptura.

2. Quaenam sunt elementa definitionis? Agitur de assumptione gloriosa Virginis ad coelum corpore et anima. Pressius examinando partes huius definitionis possumus dicere:

— subiectum definitionis est: « Immaculata Deipara semper Virgo Maria ». His verbis designatur persona Mariae, cuius inclyta privilegia simul enumerantur, videlicet quod sit *Immaculata* in sua Conceptione; *Dei Genetrix* — in quo est ratio ultima omnium privilegiorum quae Deus illi contulit; *semper Virgo* — quod est privilegium connexum cum maternitate divina et quod connexionem dicit cum dogmate nostro.

— quid praedicatur de B. V. Maria? quod fuerit assumpta ad coelestem gloriam corpore et anima. Plura sunt hic notanda. Et in primis quod assumpta fuerit: in textu dicitur: « fuisse... assumptam ». Agitur ergo de facto praeterito in quo B. V. M. passive se habuit. Et ratio dogmatis est praecise *in facto* assumptionis, quod non aliter cognosci poterat nisi per divinam revelationem. Maria passive se habuit eo sensu quod *fuit assumpta*: Christus ascendit in coelum virtute propria; Maria in coelum assumpta est per virtutem communicatam a Deo. Huiusmodi virtus derivata est

Mariae per gloriam seu per visionem beatam quae ab anima in ipsum manavit corpus quod in statum gloriosum transiit. Ex gloria sibi collata Maria corpore et anima ad coelestem gloriam assumpta est. Prae oculis semper habeatur totam quaestionem in praesenti fuisse non de animae Virginis gloria — de qua nullus dubitare poterat cum agatur de persona quae est « plena gratia »; sed directe de *corpore* Virginis et de *gloria corporis* seu de assumptione Virginis ad coelestem gloriam *corpore et anima.*

— Datur in definitione etiam determinatio temporis quo hoc factum evenit; idest « expleto terrestris vitae cursu ». Quid valet huiusmodi expressio? certissime datur determinatio generica temporis: post cursum huius vitae terrestris. Sed ulterius quaeri potest: quomodo B. V. Maria cursum vitae terrestris explevit? Per mortem corporalem an sine morte? Seu in fine vitae Virginis fuitne *prius* separatio animae a corpore seu mors; *deinde* iterata coniunctio animae glorificatae per visionem beatificam cum corpore seu resurrectio gloriosa et deinde assumptio in coelum? Vel etiam: in fine vitae Virginis, quin separaretur anima ipsius a corpore, in momento, gratia quam Ipsa plenissime habuit in anima excrevit in gloriam et ex redundantia gloriae animae repletum est et corpus, quod glorificatum et donis corporum glorificatorum donatum in integritate personae physicae Virginis in coelum assumptum est? In definitione dogmatica nihil edicitur de hac quaestione; asseritur tantum: « expleto terrestris vitae cursu », quia impossibile est — excepto Christo Domino — inveniri personam quae simul sit in statu viae et in statu termini.

IV. De valore argumentorum quae in constitutione recensentur.

Uti ex brevi synopsi ipsius Constitutionis supra relata facile est videre, plura argumenta recensentur ad Virginis privilegium statuendum. Non erit ergo supervacaneum adnotare aliquid de ipsis argumentis.

Si singulatim considerentur argumenta, quae ab ipsa Constitutione dividuntur in: « testimonia, indicia atque vestigia », evidens est quod non possint sibi vindicare valorem apodicticum in demonstratione privilegii mariani: habent quidem suum valorem, sed semper in relatione ad unicum factum quod est revera argumentum princeps et tali modo proponitur in Constitutione: videlicet fides universae Ecclesiae in privilegium Virginis: et cum privilegium sit aliquod *factum* quod aliter notum esse non potest *nisi* per divinam Revelationem a Deo factam et quidem publice toti Ecclesiae, idest per Apostolos, et ab Apostolis toti Ecclesiae transmissam, concludendum est revera privilegium Virginis con-

tineri in deposito Revelationis, hauriri ex solo deposito Revelationis, ideoque credendum esse fide divina et nunc — accedente definitione Summi Pontificis — credendum esse fide divina et catholica.

Aliis verbis, Summus Pontifex in Constitutione dicit: Ecclesia universa nunc credit Privilegium Assumptionis Virginis Mariae esse veritatem definibilem: ergo credit contineri in deposito divinae Revelationis (secus non posset definiri). Fides Ecclesiae *nunc* vigentis fuit *semper* fides quam omnes maiore vel minore claritate in saeculis anteactis, etiam antiquissimis, professi sunt: quod probatur per testimonia, indicia atque vestigia — quae ergo sunt signa manifestativa fidei Ecclesiae in tempore anteacto. Sed quod ubique, semper et omnes professi sunt est obiectum fidei divinae ideoque supponit divinam Revelationem. Ergo Assumptio B. V. M. est veritas revelata ideoque definibilis et data opportunitate definita.

Duo adhuc notanda sunt: post definitionem Conceptionis immaculatae B. V. M. Assumptio eiusdem « novo quodam fulgore illuxit ». Arctissime enim haec duo privilegia inter se conectuntur: profundior indagatio prioris privilegii melius patefecit rationes privilegii Assumptionis; et sicut implicite fuit revelata immaculata conceptio, ita etiam implicite ipsa Assumptio. Theologorum munus est indagare, dilucidare et proponere rationes ex quibus Assumptio demonstratur contineri implicite in deposito fidei.

Aliud, quod notandum est, respicit rationes theologicas Assumptionis quae diversis quidem locis et praecipue in citationibus allatis indigitantur, sed nullibi modo fere systematico proponuntur. In conclusione expositionis argumenti ex fide Ecclesae dicitur de Assumptione quod sit veritas « theologorum studio, scientia ac sapientia splendide *explicata* et *declarata* » seu theologi explicitum reddiderunt quod implicitum erat in fide, et modo claro et connexo cum aliis veritatibus proposuerunt doctrinam assumptionisticam: sed de ipsis argumentis theologicis et de ipsorum valore nihil dicitur et Constitutio omnino silet. Post definitionem tamen et sub ductu expositionis doctrinae quae in Constitutione Apostolica continetur theologi catholici profundius indagare possunt in ipsis fontibus revelationis et melius ostendere et factum existentiae fidei Ecclesiae in hoc privilegium et consonantiam rationum et veritatum quas Ecclesia profitetur de B. V. M.

+ Armandus Fares
Archiepiscopus-Episcopus Squillacen.
Coadiutor Archiep. Catacen.

SUPREMA
SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 20 Septembris 1950.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Ioseph Klein, *Grundlegung und Grenzen des kanonischen Rechts* (Tübingen, 1947).

Et die dominica, 24 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 2 Octobris 1950.

Marinus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

ADNOTATIONES

Die 2 Octobris 1950 opus Joseph Klein *Grundlegung und Grenzen des kanonischen Rechts* decreto S. Officii in Indicem insertum est librorum prohibitorum.

Agitur de opusculo parvae molis, vix 30 scilicet paginarum, publici iuris facto sumptibus J. Mohr in Tübingen, anno 1947, tempore quo auctor erat professor in seminario archidiocoesano Coloniae Agrippinae. Ipsum refert orationem inauguralem, quam

Klein habuit die 17 Maii 1946, quo officium docentis assumpsit in universitate Bonnensi.

Plures sane in hoc opere inveniuntur defectus et errores, qui causam fuere eiusdem condemnationis. Principales et graviores sequentes esse videntur:

Opus procedit ex aliquo statu mentis, qui alienus est a sensu catholico. Auctor non veretur autumare Ecclesiam Catholicam per multa saecula, saltem a tempore Gratiani, corruptam esse et amisisse suam indolem originalem, a Christo ei assignatam. Causa huius corruptionis est ius canonicum! Ecclesia, quae proprie debet esse institutum *sacramentale* et institutum *praedicationis* (ad sanctificandum et docendum); institutum in quo auctoritas spiritualis praeëminet, facta est institutum *iuridicum*, quo praedominare coepit potestas iurisdictionis seu illa potestas iuridica, quae proprie est elementum societatis naturalis seu imperii temporalis. Ad hoc grave malum evocandum conduxerunt praeprimis canonistae; sed auctor etiam arguit Summos Pontifices, ut Innocentium III, et Concilia Oecomenica, ut Concilium Tridentinum et Concilium Vaticanum. Deinde auctor propugnat ut reiiciatur Ecclesia uti societas iuridica, utpote secumferens obligationem *iuridicam* ad amplectenda dogmata Fidei et ad ea retinenda; vi cuius Ecclesia sibi attribuit potestatem coërcendi vi et poenis personas, quae dogmata amplecti renuunt aut errores contrarios propugnant. Ecclesia debet redire ad suam puritatem originalem Christi voluntati et ordinationi unice consentaneam, relinquens hominibus libertatem amplectendi fidem et, si ipsis placeat, iterum reiiciendi eam.

Hoc hodie impossibile redditur iure canonico et doctrina canonistarum, qui declarant actum, quo quis renuit amplecti fidem aut quo quis fidem habitam iterum reiicit, esse non solum peccatum sed etiam delictum seu iuris violationem, quam potestas coërcitiva socialis, in casu potestas Ecclesiae, reprimere potest et debet. Ecclesia debet esse congregatio hominum, *libere* ei adhaerentium (eine Kirche der *freie* Gefolgschaft).

Hi sunt, ut videtur, defectus graviores dissertationis Rev. Klein, qui, simul sumpti, efficiunt ut ipsa pro multis lectoribus periculosa aut perniciosa esse possit. Praecipue cum hodie non desint catholici, qui, imbuti spiritu, cuius forsitan ipse Klein est victima, tendunt ad placendum protestantibus, perhibentes namque quaedam elementa, quae hodie in Ecclesia catholica inveniuntur et a quibus protestantes sunt aversi, quaeque tamen non sunt nisi abusus emendandi et emendabiles. Qui hoc modo procedunt optima quandoque moventur intentione, scilicet desiderio faciliorem reddendi unionem omnium qui Christum confitentur. Sed iste

zelus non est secundum scientiam et veritatem, quare nocet tam ipsis sic agentibus quam bono, quod attingere cupiunt.

Qui enim attente et cum iudicio opusculum legit, continuo notat conceptus et doctrinas erroneas; modos dicendi minus exactos; sententias tendentiosas gratis assertas, sed nullatenus probatas. Praeprimis auctor non habet conceptum genuinum de iure et de ordine iuridico. Putat ius esse aliquod elementum quod natura sua pertinet ad vitam hominum *materialem* aut *temporalem*. Ius concipit ut natura sua pertinens ad societatem *civilem;* Ecclesia, utpote societas spiritualis et supernaturalis, ad sphaeram pertinet quae est supra res iuridicas. Nihil autem commendat hunc iuris conceptum. Ius enim natura sua pertinet ad vitam socialem seu ad vitam humanam *quamcumque*. Utrum ius et ordo iuridicus cum suis elementis specificis locum habeat in vita *supernaturali* hominum, dependet ab hoc, an Christiani etiam quoad res supernaturales vivant et agant socialiter an non. Nemo negare potest ordinatione Christi etiam in rebus supernaturalibus homines vivere et agere socialiter et religionem a Christo institutam habere formam Ecclesiae seu societatis. Ex hoc autem sequitur ordinem iuridicum et ius merito esse elementum vitae christianae et in Ecclesia deesse non posse ius et complexum normarum iuridicarum seu legum, quarum quaedam a Deo, quaedam ab auctoritate humana a Christo in Ecclesia constituta, emanantur et conduntur. Ius proprie, quia ad ordinem pertinet *moralem*, aptum est ut assumatur etiam in disponenda vita supernaturali et societate religiosa. Sed iuri sic seu recte intellecto non applicatur definitio, quam quasi contumeliose profert auctor: *mathematica actuum humanorum*. Inepte igitur auctor proclamat: canonistae non volunt esse theologi; nam etiam hodie scientia canonica habetur ab omnibus pars scientiae theologicae et nullatenus pars scientiae naturalis. Inepte autumat auctor ius canonicum se proclamare ius divinum. Nam canonistae optime distinguunt ius divinum et ius canonicum ut duas partes iuris sacri. Quod si dicant ius canonicum niti iure divino, nihil speciale attribuunt iuri canonico; idem enim verum est de iure positivo civili. Inepte perhibet auctor auctoritatem docendi esse absorptam et transformatam in potestatem iuridictionis. Ceterum verba *auctoritas* et *potestas* nimis ab auctore premuntur tamquam necessario designantes res diversae naturae. *Potestas* iurisdictionis est *auctoritas* ad regendos fideles. Christus hanc potestatem regendi seu gubernandi Ecclesiae pastoribus seu rectoribus donavit.

Auctor non attendere videtur ad rem notam, scilicet quod in Codice Iuris Canonici aliquando habentur normae a Deo statutae et obligationem mere moralem seu non iuridicam imponentes. Se-

cus non renueret admittere, quod cum Wernz-Vidal canonistae docent, obligationem amplectendi veram fidem esse obligationem *ethicam*, ut aiunt. Ipse deducit indolem iuridicam normae in can. 1322 contentae ex assumptione huius normae in codicem. Hoc modo denuo sibi creat rationem arguendi indolem iuridicam immoderatam quam Ecclesia induit.

Loquens de iure matrimoniali auctor cum gaudio extollit illud novum quod Decretum *Ne temere* induxit et Codex Iuris Canonici adhuc extendit, scilicet exemptionem a lege de forma matrimonii pro iis, qui quamvis baptizati, tamen non sunt in Ecclesia Catholica baptizati. Magno plausu acceptat hanc innovationem, utpote primum gressum in via, qua regredimur ad ordinem idealem, quo huiusmodi personae baptizatae extra Ecclesiam Catholicam non ligatae declarantur legibus canonicis.

Transeamus nunc ad quaestionem difficilem, utrum sc. utile esset eximere baptizatos extra Ecclesiam ab omnibus legibus canonicis. Auctor tamen duplicem hic committit errorem.

Primo errat proponendo legem Decreto *Ne temere* promulgatam ut aliquid novum. Habetur potius nova et exigentiis temporum mutatorum melius adaptata forma legislationis antiquae, scilicet legis tridentinae. Nullus enim canonista ignorat iam in prima lege, quam Ecclesia statuit circa formam celebrationis matrimonii, in lege scilicet tridentina contenta in celebri capite *Tametsi*, a lege exemptas fuisse personas habitantes in paroeciis, in quibus hoc decretum non erat promulgatum. Ratio exemptionis (eiusdem naturae in lege tridentina et in decreto *Ne temere*, sed aliis limitibus circumscriptae), est ne multa matrimonia essent invalida propter defectum formae. Secundo, auctor exceptionem hanc intelligit et extollit ut exemptionem istorum baptizatorum a iurisdictione seu potestate legislativa Ecclesiae. At falsa est haec interpretatio. Huiusmodi personae nullatenus exemptae *declarantur*, quia utpote non catholice baptizatae non cadunt sub Ecclesiae potestate et auctoritate, sed voluntate legislatoris *eximuntur* a lege. Legislator, qui potest eas obligare, voluntarie legem condit pro solis catholice baptizatis et pro conversis ad Ecclesiam catholicam, seu pro *parte* suorum subditorum, Restringit legem ad eos. Alii non obligantur, quia non cadunt sub terminis legis.

Dissertatio ipsius Klein nimis abundat huiusmodi erroribus tam iuridicis quam theologicis, tum etiam logicis, ut omnes possint hac brevi nota refutari. Conscripta est cum errore fundamentali praeconcepto de iure canonico Ecclesiae corruptore. In falsa luce huius conceptus omnia videntur, iudicantur, censura plectuntur.

Dr. L. Bender. O. P. Prof. Iuris Canonici in Pont. Ath. *Angelicum*.

ADNOTATIONES

AD DECRETA DIEI 16 JUNII ET 18 JULII 1950

(*Cfr. Monit. Eccles.* 1950, fasc. III, pag. 349)

Liber, cui titulus *La Pelle,* a Curtio Malaparte conscriptus, narrare intendit ea, quae in Italia ac praesertim Neapoli evenerunt durante novissimo bello, annis 1943-1945.

Auctor huiusmodi subtitulum apposuit: historiam et fabulam (*Storia e racconto*). At eius narratio historica dici nequit, quatenus hic relata et exaggerata inveniuntur praecipue obscenitates ac monstruositates omnis generis, quin ulla eorum mentio fiat quae praeclare, imo aliquando et heroice, gesta sunt ab iis, qui christianas virtutes, rebus adversis non obstantibus, assidue profitebantur.

Est igitur fabula, quae, dum nigris pingit coloribus res et homines, de rebus ad religionem spectantibus irreverenter agit atque rerum obscenarum descriptionibus ac narrationibus scatet.

Hinc decretum S. Officii promulgatur ad normam can. 1399 nn. 3, 9) qui statuit: « Ipso iure prohibentur: ... 3°) Libri qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt: ... 9°) Libri, qui res lascivas seu obscenas, ex professo, tractant, narrant aut docent ».

Auctor autem de huiusmodi decreto conquestus est (cfr. *Il Tempo,* 17 Giugno 1950, pag. 3), cum, ut ipse ait, etsi laicismi assecla sit, christianum tamen se esse profiteatur: quod implicat in terminis, si laicismum sive historice sive philosophice obiective consideremus.

Praeterea idem Auctor ad sui libri iustificationem invocat ius libertatis ac veritatis: at aliud est libertas, aliud effrenata licentia; aliud est veritas, aliud verismus, ut aiunt. Ecclesia Catholica autem, eo ipso quod fuit et est ac semper erit martyr invicta libertatis atque magistra indefectibilis veritatis, fuit simul et est ac semper erit contra effrenatam licentiam et sic dictum verismum quocumque praetextu fucatum, sub specie etiam artis, quae quidem ab ethicitate praescindere nec potest neque debet, si vere talis sit ac dici queat.

Auctor tandem aegre tulit sui libri damnationem, quae insuper ab ephemeride « *L'Osservatore Romano* » (17 Giugno 1950, pag. 1 sub titulo « *Letteratura galeotta* ») illustrata fuit a P. Parente, dum alii libri adsunt obsceni vel communismi athei errores

profitentes, qui in Indicem librorum prohibitorum haud relati sunt.

Revera huismodi libri, item ac liber Auctoris citati, ipso iure prohibentur, ut notavimus. Attenta tamen eiusmodi Auctoris notorietate, praesertim in Litterarum republica, Suprema Sacra Congregatio S. Officii pro munere suo necessarium censuit prohibitionem illam explicite declarare, ut fideles a periculis, quae in praedicti libri lectione passim inveniuntur, sedulo avertat.

* * *

Finis, quem Bruno Ughi in libro *La Via* nuper damnato assequi intendit, ex titulo apparet, quem eidem apposuit: viam nempe sanctitatis et salutis fidelibus demonstare. Ast, quam longe a recta via indicanda ipse distet, scriptores quidam catholici iam animadverterunt, qui proinde, statim ac in lucem prodiit, librum censura afficere haud destiterunt. Et merito quidem.

Quod enim apprime animum movet in eiusmodi libro perlegendo, est altum silentium quod servat Auctor, opus sanctitatis cum describat ac congruentia media cum indicet, de munere Ecclesiae eiusque hyerarchiae in dicto opere perficendo. Media siquidem seu instrumenta homini data ad salutem assequendam, nonnisi haec tria ab Auctore recensetur: « La ragione che giudica certa; la coscienza che porge la mano alla ragione; la grazia illuminatrice, che, sorreggendole ed integrandole, nutre entrambe di certezza » (p. 115).

Explicite autem actio Ecclesiae a negotio salutis excluditur, cum contendat Auctor huiusmodi negotium directe et immediate agi inter Spiritum Sanctum et animam justi, quam luce sua Spiritus perfundit ac illuminat: « Non l'uomo, ma lo Spirito Santo guida ai nostri giorni i figli della luce alla vittoria; lo Spirito Santo, che tra il rombo d'un mondo che crolla, è speditissima e infallibile guida alle anime di buona volontà, odiante l'imprudentissima attardante prudenza di troppe inesperte guide. Certezza equivale a santità: ma ove l'uomo si sostituisca, non come maggiore fratello, ma quale plenipotenziario a Dio, lo Spirito di Gesù non fa più sentire all'anima i suoi gemiti d'amore, che sono lume di certitudine » (p. 117). « Lo Spirito Santo pervade ogni meandro della tua anima... Credi alle sue ispirazioni. Esse non ingannano » (p. 116). Simul cum Ecclesia, exclusa etiam, in hac salutis conceptione, sacramenta manent, quae Christus Ecclesiae concredidit ut ministerium gratiae ageret inter homines.

Unde exhibet Auctor peccatorum veniam ut fructum subiectivae cuiusdam in Deum fiduciae, quin Sacramentum reconcilia-

tionis, ab Ecclesia administratum, ullo modo commemoret: « Se cento volte mancherai verso di Lui, Dio non lo voglia, cento volte rialzati... e se i peggiori delitti tu hai commessi, credi al Suo perdono » (p. 126).

Ecclesiasticae hyerarchiae auctoritate in opere salutis praetermissa et exclusa, iam libera patet via ad novas revelationes, contra eiusdem hyerarchiae monita vel prohibitiones, asserendas, utpote quae ad animarum salutem ordinatae.

Nova revelatio, quae in hoc libro asseritur, quaeque singulas fere eiusdem paginas pervadit, respicit imminens regni Dei in terram adventum, seu millenarismum: « Il Regno di Dio è alle soglie » (p. 3). « Nello Spirito Santo che, procedendo dal Figlio, attuerà in terra il Regno di Cristo... la Santissima Trinità si manifesterà agli uomini di una guisa novella » (p. 12). « Ormai viene il giorno che su tutti i figli di Dio calerà l'onda dello Spirito a sommergerli tra le vampe dell'orazione, negli oceani della vita. Venga o Dio il tuo Regno » (p. 28). Cf. etiam p. 31, 51, 52, 64, 70, 71, 77, 106, 112, 118, 120.

Ad huiusmodi regnum Dei praeparandum tribulationes inserviunt, quos invicto animo perferre quisque debet: « Oggi, ai giorni che le apocalittiche tribolazioni preparano l'universale rinascimento degli spiriti, le prove hanno un che di collettivo nei loro tratti fondamentali e tutti gli uomini vi sono fatti gradualmente passare... Ognuno di voi, fratelli, si appresti a vincere la sua prova, se vuole essere trovato degno della incorruttibile corona del Regno » (p. 77).

Cum autem hoc regnum advenerit, destruetur peccatum, homo in pristinum innocentiae statum restituetur, ac filii regni, iam ab influxu materiae immunes, veluti spirituales efficientur: « La restaurazione di tutte le cose che lo Spirito promette ai tempi della fine, si compirà nella spiritualizzazione dei figli del Regno » (p. 20). « Il peccato d'origine sarà vinto e l'uomo restituito alla prima innocenza d'Amore » (p. 71).

Imminentem huius regni instaurationem, frequentes B. Mariae Virginis apparitiones praeannuntiant; inter quas eminet, quae in loco v. d. *Voltago* locum habuit. In his enim Caeli Regina manifestat proximam omnium rerum renovationem intuitu instantis regni Dei: « Come nei segni prenunziatori del Regno, terremoti, guerre, crisi, vi è un crescendo e un moltiplicarsi, a mano a mano che i termini del tempo approssimano, così anche questa celeste comparsa sarà precorsa da un moltiplicarsi crescente di apparizioni minori, fino ad dì del grande solare segno, visibile all'universo ». « Di recente ponendo il piede virgineo sulla terra a recare l'annunzio del Regno imminente del Figlio che tu, Im-

macolata compirai, dicesti: Io sono l'Immacolata, ma chiamatemi l'Addolorata » (*Voltago*) (p. 64). Dal profetico messaggio della Madre di Dio a *La Salette*, cent'anni or sono, tutti i grandi eventi del secolo trascorsi sono predetti e ancora l'ultima saliente fase del compimento del mistero del Regno ad oggi, la Regina del cielo e della terra ha ripetuto in decine di messaggi a molte nazioni i particolari dei grandi avvenimenti » (p. 120).

Verum quidem est quod et inter catholicos, pauci admodum huiusmodi revelationes et nuncios excipiunt ac intelligunt: « State in guardia, fratelli: mentre che l'aver messo in così scarso conto i messaggi celesti, dopo spenta in Efeso la solitaria voce dell'ultimo degli Apostoli, reca a questi danni » (p. 84). « Ma questo che è il più potente dei segni, perchè il più spirituale e intellettivo, l'apparizione dell'Immacolata agli uomini, lascia ignari i protestanti, beffardi tante volte i cattolici... Chi li conosce codesti messaggi, ricchi di biblico profetico sapore, immancabilmente seguiti dai fatti? Tra protestanti quasi da nessuno: tra cattolici da pochissimi e cioè da quelli che tra un mondo di morti ardono dalla sete dell'amore e giustizia » (p. 120). Firma tamen maneat fides: « Maria riporterà in Gerusalemme, tra gli eletti rientranti d'Israele, la Chiesa finalmente universale, nella città della pace, nella pace di Cristo... Maria chiamerà in terra il Regno di Gesù, che è il Regno dello Spirito d'amore » (p. 18).

Ex hac brevi huius libri descriptione iam sufficienter apparet quam merito Suprema Sacra S. Officii Congregatio ipsum in Indicem librorum prohibitorum inserendum decreverit. Errores siquidem renovat ac inter fideles spargit iam pridem ac pluries ab Ecclesia damnatos.

Franciscus Carpino
in Pont. Atheneo Lateranensi professor.

ADNOTATIONES

AD MONITUM DIEI 28 IULII 1950.

(Cfr. *Monit. Eccles.* n. 3 an. 1950 p. 350).

HISTORICA ANTECEDENTIA.

Doctrinae et praxis communistarum est pueros ac juvenes a fide et vita christiana removere pro viribus ut ab ineunte aetate uni auctoritati status subditi sint, illamque ceu summam et exclusivam habeant agendi normam.

Compertum est enim in Russia, statim ac novus ordo bolscevistarum fuit statutus, non solum in scholis quamcumque institutionem religiosam fuisse prohibitam, (art. 124 admodum vigentis constitutionis declarat: « Allo scopo di assicurare ai cittadini la libertà di coscienza... la scuola è separata dalla Chiesa »), sed positivum et systematicum opus inceptum fuisse ad corrumpendos pueros iuvenesque eosque a quacumque fidei professione arcendos. Quae in Russia patrata sunt etiam status, qui communistarum regimen suum fecerunt, cito inierunt adversus christianam juventutis institutionem sive in scholis sive etiam per peculiares associationes puerorum et juvenum. Novimus enim in Polonia, in Cechoslovacchia et Jugoslavia constitutas associationes puerorum perfecte assimilari iis quae in Russia exstant.

In Italia factio communistarum quam maximam partem conata est juvenum et puellarum in societatem cooptare, specie neutrius politici coloris re autem vera a marxistis directa.

Vulgo « Fronte della Gioventù » fuit ista consociatio appellata, cum sua sectione faeminina « Unione Ragazze d'Italia ».

At eventum nimiam spem conceptam abstulit et, loco trigies vel quadragies centena milia juvenum et puellarum, consociationes pseudocommunistae collegerunt quaedam centena milia assectarum; ceu dux eorum in Italia assus est in conventu Liburnensi exeunte mense aprili transacti anni.

Qua rerum vice observata, communistae ad primam aetatem oculos et insidias converterunt, cogitantes faciliorem primae aetatis esse vi vel dolo adquisitionem necnon stabiliorem futuram possessionem nam adulescentuli, fide christiana et bonis moribus orbati, vix ad bonam frugem reduci valent, iuxta illud « adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea ».

Ita anno 1949 exorta est associatio pro pueris et adulescentibus utriusque sexus, ab anno septimo ad quindecimum, quae

vulgo dicitur: « *Associazione Pionieri Italiani* » seu « A. P. I. ».

Ex parte socialistarum, qui propius communismum sequuntur, eodem tempore gemina associatio inita fuit et vulgo « Falchi rossi » appellata. Passim vero et aliae denominationes usurpatae sunt sed idem finis, eadem ratio imbuendi irreligionem bonosque mores impetendi.

Iam ab ineunte anno 1950 Episcopi dioecesium in quibus hae consociationes iam constitutae fuerant, vocem suam magno cum zelo levaverunt, praeeunt Episcopo Regiensi in Aemilia qui mense Januario scripsit in sua pastorali epistula:

« Che cosa insegnano i senza Dio alla disgraziata gioventù che cade nelle loro mani? Le danno ad intendere che Dio è vana chimera, che la dotrina cristiana è un complesso di fiabe, che la religione è un'invenzione dei preti per tener soggetti i popoli, che tutto è materia, che l'anima non esiste ecc. Oh! i poveri fanciulli che cadono in mano comunista come l'imparano presto questa triste lezione. Da queste mani bisogna strappare i pargoli! ».

Nec dissimilis fuit tenoris declaratio collegialis ab Episcopis Flaminiae regionis edita die 4 Mai 1950, vel monitum Em.mi Cardinalis Schuster medionalensis archiepiscopi, die octavo eiusdem mensis prolatum, et ita porro ex parte aliorum Anstistitum statim ac in sua dioecesi novissimum et prae omnibus gravissimum animarum periculum perceperunt.

Vox clamantium Ecclesiae Pastorum contra lupos in agnos saevientes plurimis suffulta est testimoniis quibus et mala doctrina et facta pexima cum temporis, loci, et personarum adiunctis omnibus patefacta sunt ita ut ipsi defensores partium communistarum ad insolitum silentium compulsi fuerint. Contra bolscevistarum insidias magno studio ac vi opem suam Ecclesiae praebuit Actio Catholica Italica quae a primo vere praeteriti anni documenta colligendo nefariae associationis, ea in ephemeridis edendo, et ubicumque verbo et opere contra agendo, animos civium commovit, ac inimici machinationes notas fecit.

Non mirum post haec, si etiam in Senatu italico usque tandem quaestio fuerit delibata et peculiares status normae praenuntiatae sint.

De S. Officii monito.

Ex praemissis neminem fugit momentum et tempestivitas documenti S. Congregationis S. Officii, prolati anno nondum elapso a Decreto contra marxismi asseclas, immo omnibus apprime visum est monitum de quo agitur ceu consectarium esse habendum memorati decreti.

Ex iis quae supra innuimus evidens quoque factum ex quo monitum originem trahit, nempe constitutio associationum « impulsu a ductu partium communistarum... ut pueros puellasque imbuant principiis et institutione quae materialismum sapiunt et mores christianos religionemque impetunt ».

Superest quod Monitum continet, examinandum.

a) - In primis quaedam statuitur norma quae directe appellat primum quaesitum citati Decreti. Quum enim consociationes constitutae, sive « A. P. I. » sive « Falchi Rossi » sive alio tegantur nomine, reapse in hunc finem adlaborent quem clare dux communistarum edixit his verbis: « Propagandare le dottrine del marxismo e del leninismo. Siamo mossi essenzialmente da questo obiettivo, da questa volontà... La gioventù comunista assolverà la sua funzione di orientamento e di guida se si rafforzerà ideologicamente e culturalmente attraverso lo studio del marxismo-leninismo ». (*Togliatti ad Conventum liburnense*), valet omnino responsionem ad primum quaesitum memorati Decreti.

Inde sequitur:

1° licitum non esse nomen dare associationibus pro pueris et puellis a marxistis constitutis, eisdemque favorem praestare sive directe sive indirecte

2° eorum associationum diaria vel folia praesertim quae « Pioniere » - « Noi Ragazzi » - « Falco Rosso » nuncupantur, vetitum esse edere, propagare, vel legere.

Quicumque contra praescriptum egerit, si *scienter* et *libere* fecerit, ad Sacramenta admitti nequit.

b) - *De parentibus* deque eorum locum tenentibus Monitum explicitam mentionem facit, eosque a Sacramentis recipiendis repellit si liberos praedictis associationibus imbuendos tradiderint.

Cautis utitur verbis documentum et sacerdotibus curam animarum habentibus multa perpendenda reliquit antequam unum vel alterum vel ambos parentes a sacramentis arceant.

Tamen omnino cavendum est ne ii quorum est pueros invigilare et educare, minis vel allectamentis communistarum praeter modum capti, assuescant quasi necessitati aut consuetudini filios associationibus ab Ecclesia damnatis tradendi. Imo monendi sunt ut institutiones, consociationes, incepta quaecumque pro pueris caute scrutentur priusquam filios illas celebrare sinant quum aperte vel occulte haud raro marxistas auctores habeant. Omnes norunt, e. g., per singulos annos communistas solitos esse ex quibusdam meridionis regionibus pueros deferre in septemtrionales urbes vel pagos, specie illos melius alendi et vestiendi, dum con-

tra persaepe in irreligiosas familias eos introducunt et dum valetudine corporis illis iuvant fide et moribus graviter nocent.

c) - *Magistros et educatores* associationum de quibus agitur, Monitum explicite respicit sub n. 2, eosque excomunicatione speciali modo Apostolicae Sedi reservata plectit, si socios imbuant contra fidem et christianos mores.

Clara sunt quae fidem spectant iuxta cc. 1323, 1325; nova e contra et minus definita videtur locutio « christianos mores » quae scientiae moralis et pastoralis est potius quam iuridicae. Ni fallor, legis naturalis et divino-positivae praecepta respicit, sed praesertim provinciam sexti et noni, in qua graviores atque frequentiores turpitudines testes referunt patratas in associationibus de quibus sermo.

d) - *Denique pueros ac puellas* Monitum explicite appellat eosque a Sacramentis arcet quousque huiusmodi associationibus participes sint.

Documenta ab Actione Catholica undecumque collata exempla tradunt etiam delicti, de quo in C. 2320, a pueris et puellis consociationum communistarum patrati, tamen latius patere videtur sollicitudo Matris Ecclesiae. Si enim puer libere et scienter communistas magistros celebrat in associationibus damnatis, in occasione proxima versatur et fidem christianos mores deserendi. Unde merito a Sacramentis recipiendis arcetur qui iam, quamvis puer, actu externo et libero in partes inimicorum Christi et Ecclesiae transivit.

Quod si pueri et puellae vel scientia vel libertate caruerint, quod frequentius forsan evenerit, quaestio erit pastoralis et in singulis casibus et adiunctis perpendenda, num scilicet oporteat et liceat illos vi Sacramentorum frequentius munire, quibus insidias et pericula contra fidem et mores necesse est superare.

Alojsius Cardini
A. C. I Adsistentis Ecclesiastici v. g.

ADNOTATIONES

AD DECRETUM S. C. CONCILII DIEI 29. JULII 1950

(Cfr. *Monit. Eccles.* 1950, fasc. n. 3, p. 35)

Ansam edendi hoc Decretum sine dubio dederunt usurpationes recentiores quorumdam Guberniorum Ecclesiae catholicae haud secundorum, quae contra legitimas ecclesiasticas Auctoritates machinantur aut eorum potestatem quomodocumque conantur subvertere contra normas can. 2331 § 2 et 2334. n. 1 n. 2. Qui canones ita sonant:

« Can. 2331 § 2 Conspirarntes vero contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos provocantes, censuris aliisve poenis coerceantur; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici; voce activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur.

Can. 2334. - Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur:

1° Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;

2° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ».

Idem decretum tangit insuper illos usurpatores, qui clericos in ecclesiastica officia et beneficia sine institutione vel provisione canonica immittere praesumunt, necnon illos clericos, qui sine auctoritate ecclesiastica in huiusmodi officia aut beneficia sese immittere haud erubescunt. Quibus provisionibus obstat can. 147 § 1-2 huius tenoris:

« § 1 Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta »; porro obstat can. 332 § 1 statuendo:

« Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque Gubernio, necessaria est canonica provisio seu institutio, qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur ».

Tandem can. 2394 hanc normam dat:

« Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nomi-

natus in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet:

1° Sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur;

2° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa recedere;

3° Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae ».

Vi can. 2209 puniuntur etiam illi, qui in criminibus in Decreto nn. 1 et 2 declaratis, quovis modo directe vel indirecte partem habent.

Historice relate ad usurpationem potestatis ecclesiasticae haec notanda sunt:

Martinus V. in Concilio Constantiensi die 30 apr. 1418 edidit C. *Quod antidota* contra impedientes exsecutionem litterarum apostolicarum, praetextu concessionis vel indulti Urbani VI. « Qui Pontifex (1378-1389) in exordiis pestiferi et antiquati schismatis [1] iam per Dei gratiam exstincti, ad tollendum scandala, quae propter exsecutionem diversarum litterarum, quae ab iis, qui pro Romanis Pontificibus in diversis oboedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, concesserat quibusdam Praelatis, quod in eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri exsecutio aliquarum litterarum Apostolicarum, nisi prius huiusmodi litterae Praelatis ipsis vel eorum officialibus ad hoc deputatis exhiberentur et per ipsos approbatae forent. Sed aliqui Praelati hoc Decretum in consuetudinem traxerunt, idque in S. Sedis injuriam; nam aliqui praetextu statutorum Provincialium seu Synodalium similiter servaverunt aut servari fecerunt, quod litteras Apostolicas nullus exsequi audeat, nisi postquam Praelati seu officiales ipsi per suas litteras, quas *Vidimus* seu *Placet* nuncupant, mandaverunt aut concesserunt, quod possint exsequi per iudices in eis deputatos; propter quod exsecutio litterarum Apostolicarum plus debito plerumque retardata fuit et saepe ipsae litterae Apostolicae exsecutione caruerunt. Ideo Martinus V. censuit rationi consonum, ut, quod huiusmodi schismatis calamitas introduxit, pacis tempore auferatur; unde concessionem praedictam, sacro Constantiensi Concilio approbante revocavit, cassavit, annullavit,

---

[1] Cardinales nationis Gallicae die 20 sept. 1378 Fundis in Latio in Romanum Pontificem elegerant Cardinalem Robertum Genevensem (Pseudo-Clementem VII.).

statuitque, quod iudices et exsecutores quicumque in litteris Apostolicis deputati aut deputandi et alii quicumque, ad quos spectabit, absque huiusmodi littera *Vidimus* seu *Placet* nuncupata, ac etiam licentia vel assensu quorumcumque Praelatorum libere huiusmodi litteras Apostolicas exsequi debeant atque possint »[2].

Innocentius VIII autem in C. *Officii nostri* diei 25 jan. 1492 censuit sui officii debitum postulari, ut Sedis Apostolicae auctoritas et honor praeservetur ac opportuna provisionis remedia adhibeantur, per quae ius suum quisque consequi valeat, et iustitiam exquisitis viis et a canonibus damnatis modis conculcare satagentium malitiis obviatur, transgressoresque debitis afficiantur poenis, ut a similibus abstinere discant, et alii, si non virtutis amore, et justitiae zelo inducti saltem formidine poenae perterriti talia committere non praesumant. Nam citationes et mandata judicum Curiae Romanae multis modis exsequi impedita sunt per recursum ad judicia saecularia et alias vetita, ad Principes et Potentatus saeculares cum hoc effectu: recurrentes ad S. Sedem necnon notarii publici, Cursores Apostolici citationes exsequi volentes per principales seu iudices et officiales saeculares *sub formidabilibus poenis* inhibentur et praecipiuntur, ne illas exsequantur et ut iam factas exsecutiones revocent seu saltem etiam iuramento adstringunt, quod de huiusmodi exsecutionibus relationes non faciant aliasque ne huiusmodi exsecutiones fiant, diversimode impediunt. Etiam *in re beneficiali* hic influxus potestatis saecularis sentiebatur, nam notarii plus temporalem quam aeternam poenam metuentes instrumenta publica conficere non audent; quo modo iustitia perit, vel saltem retardatur beneficiaque ecclesiastica multoties absque titulo canonico detinentur occupata; mandata Apostolica contemnuntur, et auctoritas Sedis Apostolicae vilescit libertasque eecclesiastica conculcatur. Ideo Innocentius VIII statuit, ut omnes *recurrentes ad auctoritatem saecularem* causam perdant et omne ius tam in petitorio quam possessorio, in re vel ad rem, de qua agitur, eis competens, eo ipso amittat et ad beneficia sic renuntiata obtinendum inhabiles existant. Deinde pergit Romanus Pontifex: aliae vero personae ecclesiasticae seu etiam saeculares, quas causa huiusmodi non tangit, exsecutionem citationum huiusmodi aut aliorum quorumcumque mandatorum seu rescriptorum etc. impedientes aut impedientibus auxilium etc. praestantes, cuiuscumque conditionis vel praeeminentiae existunt, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, a qua (praeterquam in mortis periculo constituti et satisfactione prae-

---

[2] *Bullarium Cherubini*. tom. I, p. 250. Poena contra attentantes haec fuit: suspensio ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae per tres menses. Iuxta C. Leonis X *In supremo* iam Bonifatius nonus (1389-1404) constitutionem Urbani VI revocaverat (*Bullarium Cherubini*, l. c. p. 522 § 1). Constitutio Leonis X data fuit Romae Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo decimo octavo, Calendis Martii, Pontificatus anno sexto. In margine Cherubini scribit: a. D. 1518; vera data est 1 martii 1519: Leo X electus est 15 martii 1513; unde a. sextus initium sumpsit 15 martii 1518; Annus Incarnationis in Curia Romana usque ad a. 1908 (A. A. S., vol. I., p. 17, 5°) currere coepit a die 25 martii.

via) ab alio quam a Romano Pontifice pro tempore existenti et canonice intranti, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Tandem notarii, qui instrumenta exsecutionis dare recusant, incurrunt perjurii reatum, ac exsecutionem officii tabellionatus amittunt, fiunt infames eo ipso et eorum instrumentis sive scripturis publicis postmodum per eos super rogitibus postea factis et conficiendis, donec ab huiusmodi reatu perjurii absolutionem et infamiae abstersionem obtinuerint, nulla fides in iudicio vel extra adhibetur [3].

Jam supra fuit citata C. Leonis X *In supremo* diei 1 martii 1519, Ratio huius constitutionis haec fuit: in Signatura praesente Pontifice nonnullae supplicationes propositae fuerunt continentes, quod in Toletana et Carthaginen. Ecclesiis sub colore falsitatibus obviandi editae fuerunt constitutiones synodales, quibus caveri dicebatur, ut Tabelliones et Notarii a partibus requisiti litteras Apostolicas nullatenus recipere possent, nisi illae prius per Archiepiscopum Toletanum et Episcopum Carthaginen. pro tempore existentes aut eorum officiales examinatae forent, et a Leone X earumdem constitutionum confirmatio peteretur. Romanus Pontifex petitionem huiusmodi uti ratione carentem, cum Romani Pontificis gesta per inferiores sibi et subditos sine eius speciali licentia examinari non debeant, indecens et absurdum, quinimmo temerarium esse censuit, quod aliquis quavis occasione litteras Apostolicas sine Romani Pontificis commissione examinare velle praesumat. Ideo supplicationes ipsas, prout merito reiciendae erant, reiecit et coram se lacerare fecit, ac constitutiones edentium temeritatem tali castigatione reprimere et super his tale remedium adhibere volens, ut aliis in posterum committendi similia aditus praecludatur, Motu proprio etc. litteras Bonifacii approbavit, innovavit et inviolabiliter observari debere decrevit. Insuper non solum constitutiones synodales Toletan. et Carthaginen., sed etiam quasvis in aliis Ecclesiis per universum Orbem constitutis editas cassavit et annullavit ordinavitque, quod exsecutores deputati in litteris Apostolicis necnon Notarii et Tabelliones requisiti litteras ipsas sine alicuius personae, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis fuerit, licentia vel consensu exsequi possint et debeant.

In § 4 Leo X punit Communitates, civitates, Universitates, castra etc. interdicto (ambulatorio), singulares vero personas excommunicatione l. s. reservata S. Sedi, excepto articulo mortis et debita satisfactione data, si exsecutionem litterarum Apostolicarum impediverint vel ad tale opus auxilium, consilium, favorem praestare praesumpserint. Qua poena plectuntur non solum clerici totius hierarchiae ecclesiasticae, sed etiam Imperatores, Reges, Reginae, Duces.

---

[3] *Bullarium Cherubini* l. c., p. 389; Fontes C. I. C. vol. I. n. 60, p. 89-92. Cherubini habet ad marginem: A. D. 1491: Fontes: 25 jan. 1491. De facto Bulla edita est a. 1492; nam data fuit Romae Anno *Incarnationis Dominicae* millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, Pontificatus nostri Anno *octavo*. Innoc. VIII electus fuit 29 aug. 1484. Annus Incarnationis in Curia Romana usque ad a. 1908 (A. A. S., vol. I., p. 17, 5°) initium duxit a die 25 martii; a. octavus initium ergo sumpsit 29 aug. 1491.

Clemens VII vero in C. *Romanus Pontifex* diei 29 dec. 1533 primo commemorat concessionem Urbani VI, deinde allegat revocationem dictae concessionis per Bonifacium IX, quin ullibi ipsa Bulla verbotenus citetur, per Martinum V in Concilio Constantiensi, per Leonem X, qui synodales constitutiones impedientes exsecutionem litterarum Apostolicarum annullavit et impedientes huiusmodi exsecutionem poenis ecclesiasticis subiecit. Tandem confirmat dictas Constitutiones pontificias, damnat quascumque ordinationes de videndis litteris Apostolicis ante earum exsecutionem cassatque, jubet porro liberam exsecutionem permitti, contravenientibus poenam interdicti aut excommunicationis l. s. S. Sedi reservatae imponit [4].

Porro Gregorius XIII in C. *Ad Romani Pontificis* [5] diei 10 julii 1574 respexit *collationem beneficiorum ecclesiasticorum.* Romanus Pontifex, ita Bulla, multoties mandat et praecipit per diversas in forma brevis et sub Annulo Piscatoris confectas litteras ut provisiones et gratiae per eum de beneficiis pro tempore vacantibus ac suae et Sedis Apostolicae dispositioni et ordinationi reservatis in favorem diversarum personarum sibi gratarum et acceptarum factae exsecutioni debitae demandentur et ne (dum litterae Apostolicae sub plumbo desuper expediuntur) beneficia ipsa ab aliquibus indebite occupentur, aut aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineant, nonnumquam corporalem possessionem ipsorum beneficiorum et illis annexorum iuriumque et pertinentium quomodocumque Sedis et Camerae Apostolicarum nominibus apprendi ac omnes et quoscumque fructus etc. percipi et consignari et provisi de beneficiis in corporalem, realem et actualem possessionem introduci valeant ac debeant. Nihilominus nonnulli beneficiis praedictis inhiantes ac gratias praedictas eludere, eorumque intrusiones et detentiones improbe tueri satagentes, exsecutionem litterarum in forma brevis et facultatem per eas ipsis exsecutoribus attributam, diversis dubiis et cavillationibus remorentur et processus per eosdem exsecutores habitos et formatos et inde secuta quaecumque nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti esse nec attendi debere contendunt sub praetextu, quod in Decreto sacri Concilii Tridentini sessione vigesima quarta, capitulo vigesimo [6] dispositum fuerit, quod causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis his, quae iuxta canonicas sanctiones apud Sedem praedictam sunt tractandae aut ex causa urgenti Summus Pontifex ad se avocavit. Unde Gregorius XIII edixit: provisiones S. Sedis circa beneficia decretis Concilii Tridentini nullomodo contravenire, nihil praeiudicii illis inferri.

---

[4] Cherubini l. c., p. 606-609. Bulla edita est anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo trigesimo tertio, quarto Kal. Ianuarii, Pontificatus a. XI.

[5] Cherubini, vol. II., p. 385-386.

[6] agitur de cap. 20 de reformatione.

Paulus V autem in C. *Pastoralis Romani Pontificis* [7] diei 8 apr. 1610 sanctioni poenali excommunicationis subiecit omnes, qui per se vel per alios laedunt recurrentes ad S. Sedem pro suis negotiis (§ 12); appellantes a gravamine vel futura exsecutione litterarum Apostolicarum ad Curias saeculares et laicam potestatem (§ 13); item omnes et singulos, qui per se vel alios auctoritate propria et de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum et litterarum Apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum causas ab Auditoribus et Commissariis Romani Pontificis aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illarumque cursum et audientiam ac personas, capitula... causas ipsas prosequi volentes impediunt ac se de illarum cognitione tamquam judices interponunt (§ 14).

Tandem Pius IX in C. *Apostolicae Sedis* [8] diei 12 oct. 1869 sanxit excommunicationem l. s. speciali modo reservatam in « impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ab hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes » (§ 1. n. 6) porro « recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes aut eorum causa sive ipsas partes sive alios laedentes vel perterrefacientes » (n. 8); insuper « usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes » (n. 11) [9].

Notae historicae circa illegitimam immixtionem in beneficia et officia ecclesiastica:

Non tangimus hic normas disciplinares editas de electione Romani Pontificis [10].

---

[7] Cherubini, l. c., vol. III., p. 251-253. Bulla vocata *in Coena Domini*. Cherubini citat ante initium Bullae plurimas Apostolicas Constitutiones huc referendas.

[8] *Fontes C. I. C.*, vol. III, n. 552, p. 24.

[9] Notanda sunt sub ratione historica Constitutiones Pontificiae, quae tuentur liberum accessum ecclesiasticorum et saecularium occasione causarum et negotiorum ad Curiam Romanam. Urbani V. C. *Apostolatus* a. 1363 § 2 (*Bullarium Rom.*, ed. Mainardi, tom. III, p. II, p. 325-327); Gregorii XI, C. *Excommunicamus* 1372 § 6 § 10 (l. c., p. 338; edita in *Coena Domini*); Eugen. IV. C. *Divina in eminenti* a. Incarnationis 1432, octavo Idus martii, Pontificatus a. secundo. Quia iuxta stilum Curiae annus Incarnationis die 25. mart. sumpsit exordium. Const. edita est 1433, anno numerato non a die electionis (3, III, 1431) sed a die coronationis (nono ab electioni die). (Bull. Cherubini vol. I, p. 272 cap. III. Extravagantes commun. V, 7.); Alex. VI C. *In eminenti* 13 apr. 1502 (Cherubini l. c. p. 400); Urban. VIII C. *Pastoralis Romani Pontificis* § 12 d. 1 apr. 1627 (Cherubini vol. IV, p. 356); Urban. VIII C. *Romanus Pontifex* d. 7 Jun. 1641. (Bull. Rom. tom. VI, P. II, p. 28∂).

[10] Citasse sufficiat Decretum Nicolai II a. 1059 (C. 1 D XXIII; de diversitate textus cfr. Friedberg, *Decretum Gratiani* ad cit. cap.; Hinschius, *System des Katholischen Kirchenrechts*, vol. I p. 248 sq.). Poenae gravissimae statuuntur contra invasores eorumque asseclas; Lateran. III a. 1179 (cap. VI licet de vitanda X

Post pacem Ecclesiae per Constantinum M. concessam Romani Imperatores influxum in electionem aut confirmationem Romani Pontificis sibi acquirere studuerunt; ut pauca ex longa historia afferam exempla: Honorius Augustus tangit in epistola a. 420 ad Bonif. I casum concertantium cum temeritate circa cathedram S. Petri (C. 8 D. 79; c. 2 D. 97); de jure a rege Odoacre usurpato exercendi influxum in futuram electionem Romani Pontificis vide C. 1 § 1 D. 96. Electione inter Symmachum (498-514) et Laurentium disputata « hoc constituerunt partes, ut ambo ad Ravennam pergerent ad iudicium regis Theodorici ». Vigilius (537-555) sensit influxum Imperatricis Theodorae, et Pelagius I (555-560) illum Justiniani Imperatoris [11]. Exemplum usurpationis exhibet Constantinus II (767-768), qui quamvis laicus, a fratre suo, duce Nepusino Toto institutus est sub violentia Romanus Pontifex.

Etiam Imperatores nationis Germanicae saec. 10 et 11 quandoque influxum decisivum in electione aut institutione Romani Pontificis exercuerunt [12].

Relate ad *Episcopos* in regnis nationis Germanicae reges suam auctoritatem in eligendis et instituendis Episcopis praevalere voluerunt, ita v. g. in regno Visigothorum et Francorum [13].

Usque ad saeculum X in Gallia et Germania reges exercuerunt ius nominandi Episcopos. Rupertus Tuitien. (+ c. 1130) scribit ad annum 1018: « adhuc enim non electione, sed dono regis episcopus fiebat ». Rudolphus, abbas Trudon. scribit ad an. 1099: « adhuc enim imperator hoc in toto regno suo iure antiquo possidebat, ut absque dono eius nullus in eo constitueretur episcopus » [14]. Quamvis quaedam ecclesiae gavisae sint liberae electionis iure, tamen quidam reges tale ius parvipenderunt et loco electi alium substiturunt [15].

I, 6; sub gravissimis poenis contra usurpatores). Conc. Ludunen. II a. 1274 (cap. III in VI, I, 6). Paulus VI C. *Cum secundum* 16 dec. 1558 (Bull. Cherubini vol, I. 735). Pius IV C. *In elegendis* 9 oct. 1562 (l. c. vol. II p. 91, ubi citantur aliae Constitutiones ad rem pertinentes); Gregor. XV C. *Aeterni Patris* 15 nov. 1621 (Cherubini vol. IV p. 87-91); Pius X C. *Vacante Sede Apostolica* 25 dec. 1904 (Docum. I, C. I. C.); C. *Commissum nobis* 20 jan. 1904 (Docum. II, C. I. C.); cf. insuper Fontes ad can. 219; Hinschius, l. c. vol. I, p. 218-294; p. 293 est sermo de iure exclusivae.

[11] cf. Libri diurni cap. II de ordinatione Summi Pontificis, tit. III relatio de electione Pontificis ad principem; ad archiepiscopum Ravennae (tit. V); ad iudices Ravennae (tit. VI). De Vigilio et Pelagio I, vide Jaffé-Wattenbach, *Regesta Romanorum Pontificum*, Lipsiae 1885, tom. I, p. 117 et 124.

[12] cfr. Hinschius l. c. vol. I, p. 227 seq. (influxus Imperatorum Carolingianorum); p. 239 (influxus Ottonum). Influxus Imperatorum cessavit ex tempore Gregorii VII.

[13] cfr. Hinschius l. c., vol. 2, p. 516 seq.; p. 522 seq. est sermo de disciplina vigente tempore Carolingianorum; p. 530 nota 9. exhibetur magnus elenchus episcoporum, qui ab Imperatore aut a rege Germaniae nominati sunt.

[14] l. c., p. 531, nota 2.

[15] v. g. Conradus I a. 916 pro archidioecesi Bremensi; Otto II. pro Magdeburgen. a. 981; Henricus II pro Magdeburgen. et Halberstadien. a. 1023 (cfr. l. c. p. 533, n. 3).

Condicio in melius mutari coepit tempore Reformationis Ecclesiae saec. XI. Nicolaus II in Synodo Romana a. 1059 novum modum eligendi Romanum Pontificem introduxit, quo influxus Regis aut Imperatoris nationis Germanicae sat debilitatus est [16]. Eadem Synodus statuit (c. 6): « ut per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam nec gratis nec pretio » [17]. Alex. II in Synodo Romana a. 1063 (c. 6) eandem prohibitionem repetit (c. 20 C. XVI. qu. 7). Anno 1068 lis inter utramque potestatem exordiri coepit hac ex ratione: vacante sede Mediolanen. rex Henricus IV cuidam Godefrido Investituram dederat [18]. Populus autem Mediolanen. duce Curia Romana sub Cardinali Hildebrando, desideravit episcopum canonice electum consentiente Romano Pontifice. Sed Henricus cedere noluit, immo Godefridus a. 1073 iubente rege a suffraganeis episcopis consecratus est. Gregor. VII successor Alex. II., in synodo Romana a. 1074 « decrevit, ut sub sententia S. Petri cum Simone damnantur non solum emptor et venditor uniusque consecrationis officii ecclesiastici i. e. episcopatus, presbyteratus, diaconatus, prepositurae, decanatiae, ecclesiae vel decimationis, *sed socius transgressoris* ». Sub datis circumstantiis Decretum Greg. VII respexit Henricum IV cum suis consiliariis. Nihilominus rex in Causa Mediolanen. contumax remansit. Unde Papa a. 1075 movit litem, quae in historia ecclesiastica et profana est celeberrima sub nomine *Investiturae lis.* In Synodo Romana mense febr. 1075 Pontifex non solum priora contra Simoniam Decreta confirmavit, sed etiam novum quid statuit: « populus nullo modo eorum (simoniacorum) officia recipiat ». In alio canone Greg. VII « palam interdicit regi ius deinde habere aliquod in dandis episcopatibus omnesque laicas ab investituris ecclesiarum submovit personas ». Anno 1078 in Synodo Romana normae contra Investituram renovatae, immo severiores factae sunt; in alia eiusdem anni synodo decretum fuit « ut nullus clericorum investituram episcopatus vel abbatiae vel ecclesiae de manu imperatoris vel regis vel alicuius personae laicae, viri vel feminae, suscipiat ». Quodsi praesumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse et se usque ad condignam satisfactionem excommunicationi subiacere ». (c. 13. C. XVI. qu. 7; cf. c. 12 eodem loco) [19]. Tandem in Concordato Wormatiensi (a. 1122) Henricus V renuntiavit « omnem investituram per annulum et baculum » et concessit « in omnibus ec-

---

[16] « salvo debito honore et reverentia dilectissimi filii nostri Henrici ».

[17] Mansi, *Collectio Conc.*, 19, 898.

[18] a. 1066 quidam Herimannus obtinuit episcopatum Bambergen. « profuso in coemptionem eius argenti et auri inaestimabili pondere ». (Hinschius, 1. c., vol. 2, 543, nota 2).

[19] Decreta Gregorii VII. de novo sancita sunt a Victore III in concilio Beneventano a. 1087 (Mansi, 20, 640), ab Urbano II. in Synodo Melphien. a. 1089 (Mansi, 20, 723), Placentina a. 1095 (Mansi, 20, 805, c. 1-7) Claromontana a. 1095 (l. c., 817), a. 1098 in Baren. (l. c., 1061), a. 1099 in Romana (l. c., 969, can. 5); sub Paschali II in Lateran. a. 1102 (l. c., 1020). De ulteriori historia Investiturae, cfr. Hinschius, vol. 2, p. 551-558.

clesiis, quae in regno et imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem ».

Callistus II — unde Pactum Calixtinum — concessit « electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in presentia tua fieri absque symonia et aliqua violentia... Electus autem regalia per sceptrum a te recipiat. Ex aliis vero partibus ecclesiae consecratus infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat ». In utroque casu clausula haec fuit: « exceptis omnibus, quae ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur » [20].

Lis circa Investituram non solum in Imperio nationis Germanicae expugnata est, sed etiam in aliis territoriis, etsi non cum tanta acerbitate et duratione.

In Gallia Urban. II contra regem Philippum I iura Ecclesiae defendere coepit et Legatus Pontificius Hugo de Die in synodis Augustodunen. a. 1077 et Pictavien. a. 1078 vetitum Investiturae publicavit; sub Urbano II in Conc. Claromontano a. 1095 statutum fuit: « ut nullus ecclesiasticorum aliquem honorem a manu laicorum accipiat; insuper interdictum est, ne reges vel alii principes aliquam Investituram de ecclesiasticis honoribus faciant. Ne episcopus vel sacerdos regi vel alicui laico in manibus ligium fidelitatis faciat ». (Mansi l. c. 20. 817, can. 17).

In Anglia ex saec. IX et X rex in conferendis praelaturis magnum influxum obtinere coepit. Post occupatam a Normannis Angliam Gulielmus I (1066-1087) hanc regum consuetudinem retinuit; idem die de Gulielmo II., quando autem S. Anselmus Cantuarien. « postulatus est (a. 1100) pro consuetudine antecessorum suorum regi hominium facere et archiepiscopatum de manu eius recipere », ille respondit: « nequaquam se aut velle aut posse assensum praebere ». Quo dicto lis de Investitura initium coepit, composita tamen iam a. 1105; concordia approbata est a synodo Regni a. 1107. Rex renuntiavit Investiturae per dationem baculi pastoralis at annuli, retento regalium privilegio [21].

In Italia, in quantum subiecta Imperio, electio Episcoporum per Pactum Calixtinum suam normam acceperat; insuper auctoritas Romani Pontificis magis magisque adaucta fuit. In regno Siciliae reges maiorem influxum exercuerunt in conferendos episcopatus. Sed ex saec. XIV et XV auctoritas Romani Pontificis suum debitum locum obtinuit.

Sed fructus, quos sibi Romani Pontifices in durissima lite Investiturae collegerant, iterum diminui coeperunt tempore exsilii Avennion. et postea; nam principes alia via idem iterum sibi assequi voluerunt, quod in lite Investiturae amiserant; v. g. reges utriusque Siciliae et Hispaniae receperunt Indultum Patronatus in episcopatus aut ius praesentationis; alii v. g. Imperator Fridericus III recepit a Nicolao V

---

[20] De exsecutione Concordati wormatién. temporibus subsequentibus et de non observatione in quibusdam casibus. cfr. Hinchius, l. c., p. 559 seq.

[21] De haud in omnibus servato pacto confer Hinschius l. c., p. 586 ssq.; p. 591 nota 2 breviter refertur de Scotia, Hibernia, regnis Scandinaviae.

a. 1447 ius nominandi episcopos Brixinen., Gurcen., Tergestinum, Curien.; Pius II a. 1463 addidit Labacen. Leo X in Concordato a. 1516 inito cum Francisco I., rege Galliae, concessit ius nominandi Episcopos Galliae [22]. Ius archiep. Salisburgen. nominandi episcopos Gurcen., Seccovien., Lavantinum, Chiemsecen. finem accepit in Concordato Austriaco (5 jun. 1933. A. A. S. vol. 26 p. 252 art. IV).

Ad alia beneficia et officia quod attinet sub ratione historiae haec dicenda sunt: ex saeculo decimo tertio et decimo quarto principes territoriales influxum in collationem beneficiorum ecclesiasticorum sibi creare studuerunt, partim per obtentas a Curia Romana concessiones [23] partim per usurpatos titulos coloratos, prout sunt ius nominandi, praesentandi, patronatus; porro Gubernia solummodo indigenis conferenda beneficia permiserunt; v. g. Philippus VI., rex Galliae a. 1346; lex Austriaca 7 maii 1874 § 2; art. 16 articulorum organicorum sub Napoelone I.

Insuper principes territoriales impedire studuerunt exsecutionem provisionum a Curia Romana factarum, aut exspectativarum.

Ex saec. 15 et 16 principes catholici vestigia principum protestanticorum secuti, tamquam *advocati Ecclesiae* sese immiscuerunt in collationem beneficiorum; v. g. principes Bavariae saec. 16. Praeposituras in Collegio Canonicorum, officium decanatus, beneficia in mensibus papalibus contulerunt, invocantes antiquam consuetudinem et Indultum a. 1563. Porro pro electione Praelatorum sibi consensum reservarunt, deputaverunt Commissarios, cum jure concedendi aut denegandi confirmationem; insuper sibi usurparunt ius conferendi beneficia vi juris devolutionis; tandem Gubernium examinavit clericos sub ratione idoneitatis pro beneficiis voluitque cooperari institutioni parochorum. Principes haec iura considerarunt tamquam iura emanantia ex ipsa dignitate principis; v. g. Ferdinandus II post reductionem archiducatus Austriae ad fidem catholicam ius patronatus, quod Protestantes exercuerant, *suae dispositioni qua principi* adiudicavit. Post sic dictam saecularisationem decretam a. 1803 bonorum et principatuum catholicorum Gubernia tum catholica tum protestantica sibi usurparunt ius conferendi minora beneficia vi Patronatus *principalis;* unde ius liberae collationis quasi exceptio reputatum est. In Gallia vi art. 19 articulorum organico-

---

[22] Mercati, *Raccolta di Concordati*, p. 236; de Indulto Nicolai V ad Ludovicum, ducem Sabaudiae cum interpretationibus et extensionibus Leon X, Clem. VIII, Innoc. XII, Bened. XIII, Pii VI, Pii VII. confer Mercati, l. c., p. 195-213. Alia exempla apud Hinchius l. c., p. 611, nota 2.

[23] Eugen. IV Imperatori Friderico III. concessit Indultum conferendi 200 beneficia in suo proprio territorio; dux Austriae Albertus a Nicolao V recepit privilegium conferendi 20 beneficia. Sixtus IV Electori de Saxonia a. 1476 permisit nominationem omnium dignitatum in ecclesia cathedrali Misnensi; alia exempla invenies apus Hinschius, l. c., vol. 3, p. 100. Marsilius Patavinus in suo opere *defensor pacis* II, 17 (circa a. 1324) collationem beneficiorum simpliciter legislatori saeculari i. e. communitati fidelium aut principi ab ipsa delegato attribuerat. De applicatione huius axiomatis in Helvetia et Italia superiori confer infra dicenda.

rum nominatio vicariorum generalium, canonicorum, parochorum a Gubernio confirmanda erat [24].

Data amplissima introductione historica ad Decretum S. C. C., textus ipse vix indiget explicatione; sed solummodo notandum, quod huiusmodi violationes jurium ecclesiae occurrere consueverunt tempore eversionis rerum publicarum, prout in Gallia sub finem saec. XVIII., in quantum non solum gravissimae violationes jurium Ecclesiae locum habuerunt, sed etiam inventi sunt Episcopi et sacerdotes, qui praestiterunt juramentum in Constitutionem, et e manu Gubernii beneficia et officia receperunt. Tristissimas condiciones Galliae sub hac ratione describit in longissima ep. encycl. *Charitas* diei 13 apr. 1791 Pius VI ad clerum et populum regni Galliae [25]. Citasse insuper sufficiat ep. encycl. Pii IX diei 21 nov. 1873 *Etsi multa* [26]. Primo lamentatur de hominibus, qui armorum vi capta Urbe Nostra, sunt contemptores iuris, religionis hostes, quibus humana omnia et divina sunt promiscua; unde nulla ferme dies transiit, quin aliis atque aliis vexationibus cordi Nostro iam saucio novum aliquod vulnus infligeretur; deinde deplorat suppressionem Universitatis Nostrae Gregorianae. In n. 3 tangit gra-

---

[24] Cfr. Hinschius, l. c., vol. 3, p. 175-189. Patet, quod Gubernia sese immiscuerint innovationi beneficiorum, prout sunt: translatio beneficii, divisio, diminutio, unio, incorporatio, mutatio vi erectionis aut per transformationem; cfr. Hinschius l. c., vol. 2, p. 395-473.

[25] *Fontes C. I. C.*, vol. II, n. 474, p. 671-682.

[26] *Fontes C. I. C.*, vol. III, n. 566, p. 77-87. S. C. C. die 23. maii 1874 dedit supplementum ad dictam epistolam (l. c., vol. VI. n. 4227, p. 575 seq.), in quantum applicatur Italiae catholicae, quae imitata nefarium quorumdam Helveticorum exemplum ius eligendi proprios animarum curatores sibi audacter usurpat. Deinde continuat: «nec, quod deterius est defuit inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus parochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire impudenter praesumpserit. Detestabile sane facimus, quod ecclesiasticam hierarchiam evertit funditusque pessumdat.» Post haec citat Gregor. VII, Paschalem II, Alex. II, Conc. Lateran. sub Alex. III, Tridentium, C. *Apostolicae Sedis* 12 oct. 1869, damnantis investituram laicalem. Ideo S. C. C. iubetur applicare et inculcare ecclesiasticis provinciis Venetae et Mediolanen. singulisque dioecesibus patriarchali aut metropolitanae iurisdictioni subiectis, quae pro Helvetica Foederatione quoad popularem parochorum electionem sapientissime constituta sunt in litteris encycl. 21 nov. 1873. Deinde statuit: «Ut quicumque in praememoratis Dioecibus suffragante populo ad parochi sive vicarii officium electi audeant sive ecclesiae sive iurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, *ipso facto incurrant in excommunicationem maiorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque poenas cononicas, iidemque fugiendi sint a fidelibus iuxta divinum monitum, tamquam alieni aut fures qui non veniant, nisi ut furentur, mactent et perdant!* (cf. cc. 4, 15, 21 X. III, 38;) C. *Apostolicae Sedis* 12 oct. 1869 § 1, n. 11: «*usurpantes* aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes». Iam Leo X in C. *Regimini universalis* diei 4 maii 1515 (Cherubini, l. c., vol. I, p. 481 sq.) impedientes iurisdictionem ecclesiasticam poenis subiecit et collationes de beneficiis haud canonicas declaravit nullas et irritas ac illis utentes redditi sunt inhabiles ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

vissimam jurium Ecclesiae violationem in Helvetia, ubi post interventum S. Sedis « irrogatae primae injuriae novis et gravioribus cumulata sunt »; in n. 4 flagellat methodum, quam Decretum S. C. C. damnat: Gubernium Gibennense subicit « ad democraticam formam Episcopum cum quoad exercitium propriae juridictionis et administrationis tum quoad potestatis suae delegationem auctoritati civili »; auctoritas civilis definit parocciarum numerum et limites, proponit formam et conditiones electionis parochorum et vicariorum, casusque et modum revocationis eorum aut suspensionis ab officio, tribuit laicis hominibus ius illos nominandi, temporalem cultus administrationem eosque inspectorum instar rei ecclesiasticae generatim praeficit. Adhuc funestiora contigerunt in quinque ex septem Pagis, quibus constat Balisileen. Dioecesis; Episcopus deiectus e Sede; deinde nullum fraudis aut vexationis genus omissum, ut clerus et populus in schisma duceretur; Capitulum Basileen. iussum vivente Ordinario Vicarium Capitularem aut Administratorem eligere — conatus Gubernii frustratus —; in Bernensi Pago novem et sexaginta parochiae suo pastore orbatae; populus coactus aut hereticos aut schismaticos intrusos pastores recipere aut quocumque sacerdotum catholicorum auxilio aut ministerio destitui.

Ab Helvetia Pius IX transit ad Germaniam, ubi sic dictus « Kulturkampf » acerrime flagrare coepit. In Borussia Gubernium universam Clericorum institutionem et educationem laicae potestati subiecit et sibi ius attribuit cognoscendi et iudicandi de collatione cuiusvis officii et beneficii ecclesiastici, immo sacros Pastores officio et beneficio privandi. Romanus Pontifex continuat in enarrandis legibus iniustis Borussiae et condemnanda secta *veteres catholici* cum suo pseudo-episcopo Huberto Reinkens [27].

Velim concludere modestissimas hasce notas in Decretum S. C. C. verbis Pii IX. in cit. ep. encycl. *Etsi multa* diei 21 nov. 1873: « quoniam in haec tempora incidimus, quibus multa quidem patiendi, sed et merendi instat occasio curemus praeprimis tamquam Christi milites boni, ne animum despondeamus, imo in ipsa, qua iactamur procella certam spem nacti tranquillitatis futurae et clarioris in Ecclesia serenitatis, nos ipsos et laborentem clerum et populum erigamus divino auxilio confisi et nobilissima illa excitati Chrysostomi commentatione [28]: « Multi fluctus instant, gravesque procellae; sed non timemus ne submergamur; nam in petra consistimus. Saeviat mare, petram dissolvere nequit; insurgant fluctus, Jesu navigium demergere non possunt. Nihil Ecclesia potentius. Ecclesia est ipso coelo fortior. *Coelum et terra tran-*

---

[27] Die 7 mart. 1874 Pius IX per epist. encycl. *Vix dum a nobis* (*Fontes C. I. C.*, vol. III, n. 567, p. 87 sq.) lamentatur de legibus et ordinationibus quae sanctissimis ecclesiae iuribus et sollemnibus pactis conventis plane adversae sunt (cf. *Allocutionem* 22 jun. 1868, l. c., n. 550) et de novis legibus, quae eo manifeste spectant, ut ecclesia catholica in perniciosissimam servitutem sub arbitrio civilis auctoritatis omnino redigatur. Anno sequente, sc. 5 febr. 1875 Pius IX scripsit episcopis Borussiae ep. *Quod numquam* (l. c., n. 568) de condicionibus ecclesiae in Borussia.

[28] Hom. ante exil. n. 1 et 2.

sibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt! Quot sartagines, quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti! nihil perfecerunt. Ubinam sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? Plusquam sol splendescit. Quae illorum erant, extincta sunt; quae ad illam spectant, sunt immortalia. Si cum pauci erant Christiani, non victi sunt; quando orbis totus pia religione plenus est, quomodo illos vincere possis? *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* ». Nulli autem commoti periculo et nihil haesitantes perseveremus in oratione, idque assequi contendamus, ut universi coelestem iram flagitiis hominum provocatam placare nitamur; quo tandem in sua misericordia exsurgat Omnipotens imperet ventis et faciat tranquillitatem ».

G. Oesterle O. S. B.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Prot. n. 3394/50

EPISTOLA QUA RENOVANTUR PARTICULARES FACULTATES ORDINARIIS MISSIONUM AMERICAE LATINAE.

E Civitate Vaticana, 15 Septembris 1950.

Excellentissime Domine,

Complura privilegia Litteris Apostolicis « Trans Oceanum » diei 18 aprilis A. D. 1897 a Summo Pontifice Leone XIII ad tricennium dioecesibus aliisque circumscriptionibus ecclesiasticis Americae Latinae concessa, Pius XI, per Litteras Apostolicas diei 30 aprilis A. D. 1929, ad decennium renovavit. Decurso hoc temporis spatio, cum Sacra Congregatio Consistorialis, per decretum diei 28 aprilis A. D. 1939, pro dioecesibus sibi subditis, ad aliud decennium eadem privilegia, autoritate sibi a SS.mo D. N. Pio Div. Prov. XII facta, prorogaverit item et hoc Sacrum Dicasterium Christiano Nomini Propagando missionalium circuscriptionum Americae Latinae Ordinariis sub sua jurisdictione positis id genus favores quatenus in nova Formula facultatum generalium non continerentur, ad decennium, a die 1 Januarii computandum concessit.

Nunc vero hoc idem Sacrum Consilium, vi potestatis sibi a SS.mo D. N. Pio Div. Prov. Pp. XII factae, T i b i, qua istius Missionis Ordinario, et Missioni ipsi per has litteras, privilegia quae sequuntur, concedit ad aliud decennium, a die primo Januarii A. D. 1951 computandum, nempe:

1) ut sacra Olea, etiam antiqua, non tamen ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova

vel recentiora sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant;

2) ut christifideles a dominica Septuagesimae usque ad Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli praecepto annuae Confessionis et Communionis satisfacere possint;

3) iisdem fidelibus conceditur, si in loco inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias ac Iubilaea, quae Confessionem, Communionem et Jejunium requirunt, dummodo, servato jejunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quam primum poterunt, confitendi;

4) quoad jejunium et abstinentiam conceditur:

a) jejunium sine abstinentia servetur tantum feria VI quatuor temporum in Adventu, feriis IV Quadragesimae et feria V Maioris Hebdomadae;

b) jejunium et abstinentia feria IV Cinerum et feriis VI Quadragesimae;

c) abstinentia sine jejunio in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Apostolorum Petri et Pauli vel Omnium Sanctorum.

Haec autem Tibi rescribens, Deum O. M. precor ut omnia fausta Tibi concedat, dum Summa qua par est reverentia subsignor

addictissimus in Domino
Petrus Card. Fumasoni-Biondi *Praef.*

pro Exc.mo D. Secretario
J. Chiavoni *Subsecretarius.*

ADNOTATIONES

Peculiares facultates, quae Ordinariis locorum, sacerdotibus et christifidelibus Americae latinae a S. C. Consistoriali anno 1949 et a S. C. de Propaganda Fide anno 1950 renovatae sunt, originem ducunt a singularibus facultatibus et privilegiis, quibus Romani Pontifices iam ab inchoato illic opere apostolico auxerunt missionarios ut acrius elaborarent praestantioresque ab opere eorum fructus demeterent.

Quorum privilegiorum novum catalogum conficiendum censuit et probavit ad tricennium Leo XIII per Litteras Apostolicas « Trans Oceanum Atlanticum », diei 18 aprilis 1897 [1]. Post promulgatum Codicem Iuris Canonici plura antiqua privilegia evaserunt iuris communis vel haud necessaria vel suo robore ob mutatas temporum rerumque condiciones destituta.

Qua de causa Pius XI, expleto trentennio et nonnullis inductis immutationibus, iterum plura ex privilegiis a Leone XIII concessis elargitus est Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus dioecesium Americae Latinae ad decennium « Litteris Apostolicis » diei 30 aprilis 1929 [2].

Cum, vero, paulo ante, S. C. de Propaganda Fide retractaverit suas facultates decennales, quae multa privilegia per supradictas Litteras Apostolicas renovata iam continebant, pro territoriis missionum nullum peculiare documentum latum fuit eo vel magis quod privilegia dabantur parochis et missionariis, lato et stricto sensu acceptis.

Post decretum S. C. Consistorialis diei 18 aprilis 1939, quo privilegia cumulatim ad aliud decennium renovabantur una tantum immutatione introducta [3], etiam S. C. de Propaganda Fide opportunum censuit missionum Americae Latinae Ordinariis, in sua ditione positis, atque iam ornatis facultatibus formulae maioris vel minoris, similes favores concedere, quatenus in praedictis formulis non continerentur. Quod in executionem mandavit per litteras transmissas ad Ordinarios missionum die 3 martii 1941 [4].

Decimo exeunte anno, per decretum S. C. Consistorialis datum die 26 martii 1949 ad aliud decennium Summus Pontifex,

---

[1] In: Acta Leonis XIII P. M., Romae 1898, pp. 100-107 vel Collectanea S. C. D. P. F., Romae 1906, II, pp. 355-357, n. 1965.

[2] In: A. A. S., 21 (1929) pp. 554-557.

[3] In: A. A. S., 31 (1939) p. 224.

[4] In: Paventi X., Brevis Commentarius in Facultates S. C. de Propaganda Fide, Romae 1944, pp. 70-72.

« de consulto SS. Dicasteriorum, pro materia ad unumquodque spectante » eadem privilegia renovavit et per officium diei 28 aprilis 1949 exemplar decreti Sacra Congr. Consistorialis transmisit ad S. C. de Propaganda, cum qua communicavit illud decretum extensum fuisse etiam territoriis Americae Latinae dependentibus ab eadem S. C. de Propaganda Fide [5]. Quo non obstante et haec S. Congregatio per epistolam diei 15 septembris 1950 renovavit facultates peculiares iam anno 1941 concessas.

Quae cum ita sint, quis affirmare poterit prorsus inutilem fuisse epistolam hac in re scriptam a S. C. de Proparganda Fide.

Imprimis animadvertendum est Ordinarios missionum gaudere per formulas decennales [6] plurimis et amplioribus facultatibus quae non continentur in decreto S. C. Consistorialis. Unde documentum latum a S. C. de Propaganda Fide respicit solum n. 7, n. 10 et n. 11 decreti S. C. Consistorialis [7] et addit mitigationem legis quoad jejunium et abstinentiam, de qua nihil habet decretum S. C. Consistorialis.

Per hoc decretum etiam Ordinarii missionum gaudent facultatibus concessis n. 2 et n. 4. Quoad privilegium n. 4 animadvertendum est Sacram Congregationem de Propaganda Fide aliquando concedere quibusdam Ordinariis missionum Americae Latinae facultatem nominandi ad instar Vicariorum Cooperatorum, ut matrimoniis fidelium assistant in regionibus iuxta limites totius missionis, sacerdotes circumscriptionum ecclesasticarum viciniorum. Insuper facultas concessa numero 8 decreti S. C. Consistorialis complenda est per facultatem circa usum autimensii latini.

Xaverius Paventi

---

[5] Archiv. S. C. D. P. Fide, Prot. n. 1644/49.

[6] In: *Mon. Eccl.*, 3 (1950), pp. 352-383 cum adnotationibus a X. Paventi exaratis.

[7] Decretum S. C. Consistorialis inveniri potest in: *Mon. Eccl.*, 1 (1949) pp. 62-69 cum adnotationibus cl. F. M. Cappello.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

NOVA MISSA IN ASSUMPTIONE B. MARIAE V. APPROBATUR

Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE B. M. V.

Introitus. Ap. 12, 1. Signum magnum appáruit in cælo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

Ps. 97, 1. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit.

℣. Glória Patri.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui Genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti: concéde quæsumus; ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Judith

Judith 13, 22-25; 15, 10

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum et terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum; quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, pro quibus non pepercísti ánimæ tuæ angústias et tribulatiónem géneris tui, sed subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri. Tu glória Jerúsalem, tu lætitia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Graduale. Ps. 44, 11-12 et 14. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et concupíscet rex pulchritúdinem tuam. ℣ Tota decóra ingréditur fília regis, textúræ sunt amíctus eius.

Allelúja, allelúja. ℣. Assúmpta est María in cælum: gaudet exércitus Angelórum. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. 1, 41-50

In illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quae dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magnificat ánima mea Dóminum; et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ, ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericórdia eius a progénie in progénies timéntibus eum.

Credo.

Offertorium. Gen. 3, 15. Inimicítias ponam inter te et Mulíerem, et semen tuum et Semen illíus.

Secreta

Ascéndat ad Te, Dómine, nostræ devotiónis oblátio, et, Beatíssima Vírgine María in cælum assúmpta intercedénte, corda nostra, caritátis igne succénsa, ad Te júgiter adspírent. Per Dóminum.

Communio. Luc. 1, 48-49. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salutáribus sacraméntis, da quæsumus, ut, méritis et intercessióne Beátæ Vírginis Maríæ in cælum assúmptæ, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per Dóminum.

URBIS ET ORBIS

Ingenti populi christiani laetitia, declaratione B. Mariam Virginem corpore et anima in caelum assumptam esse suscepta, ut etiam in sacra liturgia memoria huius faustissimi eventus haberetur, Sacra Rituum Congregatio novam hanc Missam in honorem B. Mariae V. in caelum assumptae conficere curavit.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XII, referente infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto, illam approbare dignatus est, et in Missali Romano, die 15 Augusti, loco veteris, inserendam mandavit.

Decrevit insuper eadem Sanctitas Sua ut Litaniis Lauretanis post invocationem « *Regina sine labe originali concepta* » addatur: « *Regina in caelum assumpta* ».

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 31 Octobris 1950.

+ C. Card. MICARA, Episc. Veliternus, *Praefectus*

L. + S.

† A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius*

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

DE PRECIBUS ET PIIS OPERIBUS INDULGENTIIS DITATIS, NOVA COLLECTIONE EDITIS.

Quoniam volumen, quod « Preces et Pia Opera... » inscribitur atque anno MDCCCXXXVII editum fuit, iam amplius non prostat, haec Sacra Paenitentiaria Apostolica illud iterum typis imprimere statuit, eo vel magis quod christifideles non pauci itemque Sacerdotes et Episcopi id ipsum multis ex partibus petierunt. Antequam tamen hoc propositum ad effectum deduceretur, opportunum visum est rem omnem diligenter recognoscere ac nonnulla expungere, quae minus apta viderentur, nonnulla vero adjicere, quae postremis hisce temporibus fuere indulgentiis insignita.

Normae autem, quibus hoc enchiridion compositum est et in praesentem formam redactum, eaedem sunt, idemque propositum; ut nempe authenticum habeatur opus, quod Pontificis omnes hac in re largitiones in unum volumen colligat, quod quidem communi pietati modo tuto respondeat.

Quapropter hoc volumen preces complectitur ac pia opera, quae usque ad praesentem diem a Summis Pontificibus fuere indulgentiis ditata, quae adhuc vigent; tum ea videlicet, quae in favorem omnium christifidelium, tum ea etiam, quae in favorem quorumdam coetuum personarum spiritualibus hisce muneribus insignita fuerunt, obrogatis ceteris omnibus generalibus indulgentiarum concessionibus, quae in hoc enchiridion non sint relatae.

Fore igitur sperandum est ut hoc opus uberes afferat spiritualis utilitatis fructus, utque ad sinceram ac solidam pietatem refovendam summopere conferat.

Ut autem omnino necessarium erat, res tota Augusti Pontificis Pii XII iudicio subiecta fuit, qui quidem in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 29 mensis Decembris anni 1949 concessa, hanc precum piorumque operum Collectionem, typis Vaticanis impressam, approbavit; et obrogatis generalibus indulgentiarum concessionibus in eamdem Collectionem non relatis, ipsam tantum ut authenticam haberi mandavit.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam specialissima mentione dignis.

Datum Romae, ex eadem Sacra Paenitentiaria Apostolica, die XXX Ianuarii MDCCCCL.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. + S.

S. Luzio, *Regens.*

ADNOTATIONES

Indulgentiarum Collectio authentica, quae vertentis anni initio fidelibus exhibita fuit, sextum tenet locum inter collectiones authenticas hac in re ab Apostolica Sede editas. Prima enim ex his collectionibus [1] ortum habuit anno 1877, Pio IX Pontificem Maximum agente; secunda, typis S. Congr. de Propaganda Fide exscripta, anno 1886, sedente Leone XIII Pontifice Summo et tertia anno 1898; quae omnes tres collectiones lingua italica fuerunt exaratae. Postremae aliae tres lingua latina editae fuerunt, quarum prima anno 1927 prodiit; secunda anno 1937, cui nunc accedit postrema, de qua sermonem facimus cuique titulus *Enchiridion Indulgentiarum. Preces et pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorumdam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita.*

---

[1] *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le ss. Indulgenze, pubblicata per ordine della Santità di N. S. Pio IX.* Roma, Tipografia della S. Congr. di Propaganda Fide, 1877.

Ad historiam quod attinet, opus est adnotare has authenticas collectiones praecessas fuisse a non paucis indulgentiarum collectionibus privatorum opera exaratis, quarum prima edita fuit anno 1807 a sacerdote romano Telesphoro Galli, ecclesiae S. Mariae in Cosmedin canonico, qui fuit S. Indulgentiarum Congregationis consultor. Anno 1845, quo pius sacerdos diem supremum obiit, haec collectio ad decimam primam editionem pervenerat. Opus hoc persecutus est Aloisius Prinzivalli, et ipse S. Mariae in Cosmedin canonicus, qui in S. Indulgentiarum Congregatione Secretarii munere functus est: anno 1863 habita fuit editio decima quarta [2]. Non multo post, anno scilicet 1877, S. Indulgentiarum Congregatio, uti iam innuimus, primam edidit editionem authenticam; et hoc, uti legimus in decreto, quod collectionem comitatur, quia postrema collectio non omnis imperfectionis expers videbatur nec, quod potissimum erat, omnes et singulas indulgentias usque tunc elargitas recensebat.

In decreto, quod vobis proponitur quodque praesens Enchiridion comitatur, causae innituntur ob quas opportunum visum est indulgentias authentice colligere, videlicet: 1) superior Collectio non amplius prostat; 2) christifideles non pauci itemque Sacerdotes et Episcopi instantes porrexerunt preces Apostolicae Sedi ut haec Collectio iterum typis ederetur; 3) nonnulla expungere, quae nunc temporis minus apta visa sunt nonnullaque vero adjicere, quae postremis hisce temporibus indulgentiis ditata sunt.

Quibus causis addendum est propositum concessiones pontificias hac in re colligendi in unum authenticum volumen, quod omnibus praesto sit ad sinceram solidamque pietatem refovendam.

Prout in eodem decreto legimus, Collectio preces amplectitur ac pia opera, quae usque ad presentem diem ab Apostolica Sede indulgentiis ditata fuerunt sive in favorem omnium christifidelium sive in bonum quorundam coetuum personarum. Quae tamen concessiones generales *stricte* intelligendae sunt, prout cl.mi Vermeersch et Creusen recte notant [3]: agitur scilicet de indulgentiis, quas omnes fideles quolibet tempore et ubique lucrari valent, quin ipsis opus sit cuiusdam obiecti benedicti usus, nec definitae ecclesiae visitatio nec cooptatio in aliquam fidelium associationem. Hinc, v. g., in hac Collectione non recensetur indulgentia plenaria *toties quoties*, qua Basilica Principis Apostolorum in Urbe insignita est, quia opus est praefatam ecclesiam visitare; nec recensentur indulgentiae Apostolicae, cum necesse sit, ad eas assequendas, possessio cuiusdam pietatis obiecti indulgentiis Apostolicis ditati; nec

---

[2] Cfr. *Monitore Ecclesiastico*, vol. V, an. 1943, p. 120 ss.

[3] A. Vermeersch-J. Creusen, S. I., *Epitome Iuris Canonici*, vol. II, n. 205.

pariter recensentur indulgentiae Tertiariis S. Francisci concessae, nam fidelis nequit eas lucrari nisi sit eiusdem Tertii Ordinis sodalis.

Concessiones generales in eandem Collectionem non relatae abrogatae dicendae sunt; v. g. indulgentiae trecentorum dierum et plenaria semel in mense fidelibus invocationem ad Deum Patrem recitantibus cum intentione reparandi blasphemias contra SS.mum Nomem Iesu concessae ac numero 49 collectionis superioris notatae; ita pariter indulgentiae quinque annorum ac plenaria semel in mense et quingentorum dierum nn. 294 et 598 recensae, amissae dicendae sunt, quia in novissima Collectione non relatae. Non paucas concessiones novas vero praesens Enchiridion complectitur; v. g. indulgentias quinque annorum et plenariam semel in mense concessas fidelibus Apostolorum Symbolum recitantibus, numero 43 notatas: item indulgentiam trecentorum dierum necnon indulgentias trium annorum et plenariam semel in mense, de quibus in nn. 92 et 129.

Aliae vero concessiones rursus quidem in novissima Collectione inveniuntur, plus minusve tamen immutatae; ita v. g. concessiones elargitae fidelibus, qui actum heroicum caritatis emiserint, de quibus in numero 547 collectionis superioris, ita referuntur ut facultas commutandi opera pro fidelibus, qui impediuntur quominus S. Communionem recipiant vel S. Missae Sacrificio feria secunda adsistant, non amplius pertineat ad locorum Ordinarios sed ad confessarios (num. 593); commutatio igitur in casu, ad normam can. 935, legem ingreditur generalem. Ita pariter dicendum est quoad plenariam indulgentiam concessam prima cuiusvis mensis feria sexta in honorem SS. Cordis Iesu: ipsa non amplius elargita dicenda est fidelibus qui ad S. Synaxim accesserint, ut olim, (num. 220) sed fidelibus pium exercitium in honorem SS. Cordis Iesu peragentibus (num. 252). Et hoc ad infringendam difficultatem, quae indulgentiae adeptionem vetabat in casu quo feria sexta in Parasceve incideret in primam feriam sextam mensis, ob vetitum ea die accedendi ad Mensam eucharisticam. Quod non amplius consequitur in concessione de qua in praesenti Enchiridion (loc. cit.): satis erit enim feria sexta in Parasceve pium exercitium in SS. Cordis Iesu honorem peragere; sacra Communio vero recipi poterit, ad normam can. 931 § 1, feria quinta in Coena Domini vel uno ex diebus octavae immediate subsequentis.

Hisce praemissis, opportunum ducimus pertingere, quamvis breviter, praenotanda, quae hanc Collectionem comitantur, videlicet: 1) Ad assequendas indulgentias plenarias, in hac Collectione contentas, conditiones, quae ex more imponi solent quaeque per notam clausulam « suetis conditionibus » designantur, sunt con-

fessio, Communio, visitatio ecclesiae vel oratorii publici aut etiam semipublici, si agatur de fidelibus, qui in can. 929 indicantur. Cum vero non omnes praefatae conditiones praecipiuntur, eae, quae necessariae sunt, singulis vicibus adnotantur. Ita, v. g. ad lucrandam indulgentiam plenariam concessam fidelibus orationem « En ego, o bone et dulcissime Iesu... » de qua in num. 201, recitantibus, ut conditiones impositae enumerantur confessio, Communio et oratio ad Summi Pontificis mentem; nihil opus est igitur ecclesiae visitatione.

Item ad acquirendam indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium Dominica, de qua in num. 395b, concessam fidelibus, qui saltem ter in qualibet ex praecedentibus hebdomadis tertiam Rosarii partem devote recitaverint, conditiones impositae sunt confessio, Communio et ecclesiae vel publici oratorii visitatio: non requiritur igitur oratio ad mentem Summi Pontificis. Pro eadem vero Rosarii recitatione coram sanctissimo Eucharistiae Sacramento publice exposito vel etiam in tabernaculo adservato, conditiones impositae sunt confessio et Communio tantum.

Si autem sermo sit de indulgentia plenaria concessa fidelibus pium Viae Crucis exercitium peragentibus, nulla conditio, ex iis quas notavimus, requiritur. Legitur enim in eadem Collectione (num. 194): « Fidelibus, qui sive singulatim sive in comitatu, saltem corde contrito, pium exercitium *Viae Crucis*... peregerint, conceditur *indulgentia plenaria* quoties id egerint ». Necesse est igitur hoc pium exercitium in statu gratiae tantum peragatur.

Cum agitur de indulgentiis partialibus, ad eas acquirendas apponi solet clausula « saltem corde contrito », quae potius quam vera conditio habenda est ut mera dispositio, quae inducit necessitatem status gratiae ad indulgentiam acquirendam. Unde si quis in statu peccati inveniatur ac proinde incapax sit cuiusvis indulgentiae lucrandae, ut alias notavimus [4], necesse est ipse per contritionem perfectam cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur ut possit indulgentias assequi.

2) Saepe et multum fit sermo de indulgentia plenaria semel in mense acquirenda a fidelibus, qui per integrum mensem quamdam recitaverint orationem; hoc in casu mensis non intelligitur prout in calendario sumi solet sed ut temporis spatium: satis erit igitur, nisi expresse nominetur mensis, ut oratio per triginta dies recitetur. Diximus: *nisi expresse nominetur mensis,* nam, v. g., indulgentiae, de quibus in num. 325, concessae fidelibus pium exercitium in honorem B. M. Virginis mense maio peragentibus, praefato men-

[4] S. de Angelis, *De Indulgentiis:* tractatus quoad earum naturam et usum, ed. altera, nn. 63, 119. Città del Vaticano, 1950.

se tantum lucrifieri possunt. Sedulo tamen adverte nihil vetare quominus pia exercitia, quae in ecclesiis vel publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis peragi solent, inchoentur quovis die illius mensis, qui ex more celebratur, sive mensis antecedentis et illa die festo absolvere, qui non sit postremus eiusdem mensis dies, dummodo tamen pium exercitium per triginta dierum spatium peragatur. Et hoc quotiescumque opportunum videatur, sive quia fidelibus facilius evadat confessionem peragere et ad eucharisticam Mensam sub finem pii exercitii accedere sive ob aliam iustam causam. Ita, v. g., S. Indulgentiarum Congregatio per decretum d. d. 4 febr. 1877 indulsit ut fas esset pium exercitium in honorem S. Ioseph, Deiparae Virginis Sponsi, quod per integrum mensem martium peragi solet, a die decimasexta vel decimaseptima mensis februarii inchoare et mensis insequentis martii die decimanona, qua gloriosi Patriarchae festum in universa ecclesia recolitur, absolvere [5]. Quod S. Paenitentiaria Apostolica per decr. d. d. 10 martii 1941 extendere voluit ad omnia eiusdem generis pia exeercitia [6].

3) Pariter persaepe sermo est de piis exercitiis *publice* vel *privatim* peragendis; quae verba, iuxta praen. 7, ita intelligi debent ut pia exercitia tunc tantum publice peracta dicantur, cum communiter in ecclesiis vel oratoriis publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis habentur; ceteris in casibus privatim peracta intelliguntur.

Non inutile putamus has notas perficere quibusdam ex notionibus, quae indulgentiarum disciplinam ingrediuntur, videlicet: 1) Indulgentia plenaria, nisi aliter cautum sit, semel in die acquiri potest, etsi opus praescriptum pluries ponatur (can. 928 § 1). Indulgentia partialis vero, nisi contrarium expresse notetur, toties per diem lucrifieri potest, quoties opus impositum ponatur (ib. 2). 2) Confessio et Communio, quae ut plurimum requiruntur ad indulgentiam plenariam acquirendam, reguntur can. 931. 3) Conditio « precandi ad mentem Summi Pontificis » plane adimpletur per recitationem semel peractam precum Pater, Ave et Gloria [7]. Cum vero agitur de indulgentiis plenariis *toties quoties* lucrandis, pro quibus alicuius ecclesiae visitatio iniuncta est, oportet et sufficit has easdem preces saltem sexies ad Summi Pontificis mentem in singulis visitationibus recitare [8]. 4) Conditio « visitandi ecclesiam aut publicum vel (pro legitime utentibus) semi-

---

[5] ASS., 10, 48.
[6] AAS., 33, 129.
[7] S. Paenit. Apost., 20 sept. 1933. - AAS., 25, 446.
[8] S. Paenit. Apost. 5 iul. 1930. - AAS., 22, 363.

publicum oratorium », prout legimus in decreto S. Paenitentiariae Apostolicae d. d. 20 sept. 1933, adimpletur per accessum ad ecclesiam vel ad oratorium « saltem cum intentione generali seu implicita honorandi Deum in se vel in sanctis suis, aliqua adhibita prece, et quidem prece praescripta, si aliqua imposita fuit ab indulgentiae largitore, vel alia qualibet sive orali sive etiam mentali pro cuiusque pietate et devotione » [9]. 5) Non ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem indulgentiae orationibus concessae cessant, sed ob illas quae earumdem substantiam alterant [10]. Ita, v. g., fidelis, qui invocationem « Maria, Mater gratiae, *Mater misericordiae...* » ita mutat: « Maria, Mater gratiae, *dulcis parens clementiae...* » indulgentias non amittit, quia huiusmodi recitatio substantiam orationis non alterat. Indulgentiae invocationibus et precibus sic dictis iaculatoriis adnexae lucrifieri possunt etiam per mentalem tantum recitationem [11].

Hoc Enchiridion, prout iam innuimus, ut unica et authentica Indulgentiarum Collectio haberi debet ideoque concessiones generales in eandem non relatae ut abrogatae habendae sunt.

SERAPHINUS DE ANGELIS.

---

[9] ASS., 25, 446.
[10] S. Paenit. Apost., 26 nov. 1934. - AAS., 26, 643.
[11] S. Paenit. Apost., 7 dec. 1933. - AAS., 26, 35.

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

TRIBUNAL REGIONALE INSUBRE

MEDIOLANEN.

NULLITATIS MATRIMONII

N. N.

CONTRA BONUM FIDEI ET SACRAMENTI

SENTENTIA

1. *Species facti.* - Doct. A., die 21 januarii 1937, XXIV aetatis annum agens, uxorem ducebat S., ipso tribus annis natu maiorem, familiaribus, patre praesertim, enixe, at perperam, resistentibus eo quod de muliere haud favorabilia hauserant testimonia. Matrimonium revera haud felicem sortitum est exitum, sive deficiente inter coniuges amore, sive ob oeconomicas vicissitudines; et tandem ineunte, ut videtur, anno 1943, separatio instituta est.

Libello demum diei 4 julii 1945, doct. A. nullitatem sui matrimonii accusavit ob exclusum ex parte uxoris bonum sacramenti, quippe S. « per il proprio temperamento e per la propria mentalità volle riservare anche a sè il diritto di spezzare il vincolo quando ciò le apparisse opportuno », simulans se eiusmodi ius concedere viro « come massima prova del suo affetto ». Exponit Actor illam, paucis diebus ante nuptias, idest die 16 januarii 1937, epistolam sibi conscripsisse, qua haec renuntiabat: « In qualunque momento la mia compagnia ti venisse a noia, o credessi che grava il corso del tuo avvenire, tu potrai tener conto della promessa che ora ti faccio, di non levare nessuna protesta a qualunque domanda tu volessi fare di annullamento di matrimonio, anche se fosse nato un figlio, perchè io vado incontro al sacramento con il chiaro pensiero che, qualora tu volessi, esso può essere infranto... Quando e nel modo che tu ed io si giudicherà opportuno, io ti lascerò senza protestare ».

Quamvis doct. A. eam epistolam tunc, potius quam probatam haberet, discerpere voluisset vel imo illico dilacerasset,

nunquam fore ut accideret putans id quod S. pollicebatur, ideoque matrimonium absolute contraxisset, absque ulla consensus limitatione vel indissolubilitatis exclusione, cum dein de separatione agi coeptum est, se jure ab S. concesso uti posse censuit, matrimonium accusans ob exclusam eius perpetuitatem; cumque ad litis contestationem deventum est aliud addidit nullitatis caput ob exclusum ab uxore bonum fidei.

Omnibus ideo jure expletis nunc proposito dubio respondendum est: « an constet de nullitate matrimonii ob exclusum bonum fidei vel sacramenti ».

2. *In Jure.* - Si quis in contrahendo matrimonio bonum sacramenti vel fidei vel prolis positivo voluntatis actu excludit, invalide contrahit (can. 1086, 2°). In bono prolis vel fidei oportet distinguere inter ipsam obligationem et adimplementum obligationis. Haec e contra in bono sacramenti ab invicem separari nequeunt, ideoque matrimonium semper dirimitur si alteruter vel uterque contrahens positivo voluntatis actu matrimonium dissolubile inire intendit. Attamen simplex error circa indissolubilitatem matrimonii, quippe qui est merus actus intellectus, nunquam vitiat consensum matrimonialem (can. 1084). Porro ad irritandum matrimonium non requiritur ut contrahens sibi conscius sit se invalidum consensum matrimonialem ponere sed sufficit ut actum voluntatis, quo matrimonium contrahit, altero positivo voluntatis actu restringat, *sibi* nempe reservans divortium vel ius non servandi fidem vel prolem excludendi. Siquidem in tali casu contrahens generalem intentionem ineundi matrimonium vitiat et destruit per specialem actum voluntatis quo intendit matrimonium inire ad tempus vel ad experimentum, vel sine obligatione ad fidem aut prolem. Aliis verbis deficit in contrahente ille consensus matrimonialis qui a jure definitur: Actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081, 2°). (*S. R. R.*, dec. 79, an. 1935, n. 2).

Ut tamen *consensus* vitietur, et ideo matrimonium irritetur, requiritur positivus actus voluntatis quo quis *sibi reservat ius*, v. g. solvendi matrimonium, vel *obligationem respuit* circa matrimonii perpetuitatem.

Si quis ideo contrahit nullam restrictionem proprio consensui apponens seu matrimonium inire prout omnes facere solent, saltem implicite, intendens, licet putet alteram partem aliquod bonum substantiale excludere, vel ita dispositus ut contrahere velit etsi altera pars forte excludat, *proprium consensum non vitiat,* quia ipse pure et simpliciter consensum elicit.

Et revera quando agitur de nullitate matrimonii ex capite simulationis consensus, semper hoc unum exploratur, quaenam revera fuerit voluntas eius qui dicitur simulasse, quia alterius partis, etsi de simulatione edoctae, non tamen item simulantis, consensus supponitur validus.

3. *In facto.* - Rem satis arduam perscrutare aggredimur: non enim agitur de consueta alterius vel utriusque compartis reservatione *sibi* facta qua *directe* contrahens per actum positivum *suae* voluntatis *ipse* intendit denegare alteri parti vel omne ius ad coniugalem actum vel matrimonii unitatem aut indissolubilitatem, quia *ipse* vult vel prolem excludere, vel alios amores libere fovere, vel divortium pro lubitu patrare.

In casu uxor dicitur *tantum indirecte* eiusmodi ius sibi reservasse, quatenus illud comparti *concessisset.* Investigandum igitur est an revera uxor concesserit sponso ius petendi vinculi solutionem, vel, subordinate, alii foeminae adherendi, et an eiusmodi concessio ita matrimonialem consensum infecerit, ut irritus plane fieret. Ad quem finem, inquirendum est an uxor S. ideas unquam seu propositum contra bonum sacramenti vel fidei ante matrimonium expresserit, et in specie an epistola, ab Actore exhibita, authentica sit et tales ideas seu propositum contineat, ex quibus concludendum sit ad exclusionem fidei vel indissolubilitatis.

4. *Doct. A.,* Actor, haec ad rem declarandam exposuit, se S. cognovisse, hyemali tempore, anno 1935: post unum vel alterum occursum, propensionis in eam sensus expertum esse, illam vero intensius. Post factum, Actor censet illam nuptias optasse tantum « per sistemare il suo patrimonio », quamvis non neget « che anche la S. intendesse di fare un matrimonio regolare ». Ipse vero eam omnino ducere statuerat, quamvis pater aliique familiares, avis exceptis, resiterent; fatetur enim S. non fuisse admodum religiosis officiis obsequentem, nec mo-

ribus irreprehensibilem, fortasse nec virginem. Addit illam interdum, cum ipso colloquentem, ideas seu *principia* enuntiasse, quoad matrimonium, quae dein in epistola confirmavit: se autem eam obiurgasse.

« La lettera, ait, la S. *me la consegnò due o tre giorni prima del matrimonio nello studio* dell'appartamento che si stava preparando: me la scrisse di sua iniziativa, quantunque, dato lo stile, si vede la mano di un giurista: devo però dire che la S. ha studiato legge. Io mi meravigliai, *mi indispettii, e volevo stracciarla* ».

Ut patet, Actor sponsae ideis, seu « principiis », seu promissioni nec tunc assensit; sed matrimonium inivit recta intentione, absque exclusione ulla quae suum consensum vitiaret et matrimonium irritaret.

Juxta Actorem coniugale consortium pacifice per biennium perseveravit: sed dein dissidia exorta sunt eo quod uxor « teneva vita libera, aveva altri amanti, faceva spese pazze per il suo abbigliamento ». Quare doct. A. tandem sibi persuasit uxorem eam epistolam scripsisse « per crearsi una via d'uscita quando le fosse tornato comodo di riprendere la sua libertà ».

5. *Uxor conventa,* S., viri intentioni non videtur nimis favere, quamvis revera et ipsa vinculi solutionem exoptet. Eius confessio ergo, quatenus contra se ipsam facta, nonnihili facienda est, Ait vero: « Io non feci proprio dichiarazione contro la indissolubilità del matrimonio, ma vedendo l'opposizione dei genitori e che lui era disposto a sacrificare l'amore dei genitori per sposarmi, pensando di ricompensare il suo sacrificio, gli scrissi una lettera in cui dichiaravo di lasciarlo libero se lui me lo avesse chiesto... Con quella lettera io intendevo dire al A. che gli lasciavo piena libertà quando la mia compagnia gli fosse diventata pesante. *Io non ho pensato al divorzio in senso stretto, cioè alla rottura del vincolo coniugale,* però io pensavo di fornirgli un documento che potesse veramente servire *all'annullamento* del matrimonio. Quindi *io intendevo veramente contrarre matrimonio, e per conto mio non mi riservavo per me la libertà di far annullare il matrimonio;* la riconoscevo invece a lui. Ho inteso quindi dire che se avesse voluto l'annullamento del matrimonio, io l'avrei accettato... senza protestare. *Io sapevo che il matrimonio cristiano è in-*

dissolubile, ma ho voluto scrivere egualmente la lettera perchè non sapevo in quale altro modo testimoniargli il mio affetto ».

Quae postrema verba videntur absurdum quoddam proferre: quis enim unquam censeat signum intensi amoris esse alicui dicere: « Te derelinquere sine dolore parata sum »? Nonne potius censendum sit uxorem ea epistola nil aliud exprimere voluisse quam officiosa verba, v. « un complimento »!

At quidquid sit, ex uxoris confessione haec sunt animadvertenda, ipsam novisse matrimonium esse indissolubile, divortium seu vinculi solutionem ne cogitasse quidem, verum matrimonium (ideoque indissolubile) contrahere voluisse, nullum ius *sibi* reservasse matrimonium solvendi.

Actoris ergo accusatio, quod uxor epistolam scripsisset « per crearsi una via d'uscita quando le fosse tornato comodo di riprendere la sua libertà », ab uxore refellitur.

6. S. Addit se, *post hebdomadam a nuptiis*, virum interrogasse an epistolam legisset, illum vero respondisse de hac re non esse amplius interloquendum, *epistolam autem dilacerasse*: cui ipsa reposuisset ut illam ad tempus opportunum servaret. Viro igitur in his dupliciter adhuc uxor contradicit, cum is affirmaverit se, accepta epistola *e sponsae manibus* (« me la consegnò nello studio, ecc. »), statim admirationem et contrarietatem manifestasse (« mi meravigliai e mi indispettii »), ergo eam statim legerat; se eam *disrumpere tantum voluisse*. An post hebdomadam doct. A. oblitus fuerat se eam servasse, ut uxori disruptam affirmaret?

Contradicit item uxor viro cum affirmat: « Oltre a quanto ho scritto in quella lettera non c'è stata altra manifestazione in proposito... Io parlai della mia intenzione solo con mio padre, che mi consigliò, ma ora è morto », dum vir contendit sponsam iam antea eiusmodi ideas manifestasse, eiusque propositum agnovisse quidam testes referunt. Sed uxori contra se dicenti credendum esse videtur.

Quoad bonum fidei uxor haec confessa est: « Riguardo al dovere della fedeltà io non ho avuto nessuna intenzione da parte mia; *implicitamente* lasciando al marito la libertà di far annullare il matrimonio, gli lasciavo anche la libertà di unirsi ad altra donna. Però espressamente non feci accenno a questa cosa ». Hoc caput ideo nullo fundamento niteretur.

Quoad factum separationis, quibuslibet dissidiis exclusis (!) uxor ait: « La separazione avvenne perchè un giorno improvvisamente mio marito mi disse che desiderava riprendere la libertà della sua vita per lavorare, e mi chiese se ero disposta alla separazione legale. Io ricordando quanto gli avevo scritto, non feci nessuna obiezione ed accettai. Più tardi mio marito mi disse che la separazione non risolveva nessuna posizione, e mi chiese se ero disposta anche all'annullamento del matrimonio, e anche a questo acconsentii ».

7. Quamvis ex uxoris conventae depositione videretur deficere fundamentum quo causa innititur, instante Actore, testes quoque auditi sunt.

De capite exclusione fidelitatis neque testes ullum argumentum afferre noverunt. Actoris noverca, F. M., nurum accusat quod ante nuptias alios amores fovisset: « lei era una ragazza esperta e navigata in relazioni con uomini ».

Soror, R. M. J., quae nuptiarum tempore septendecim annorum erat, ait: « circa la fedeltà del matrimonio ho avuto qualche dubbio sulla sua mentalità, perchè parlava spesso di libertà in modo che ognuno facesse quello che desiderava ». Sed haec fortasse post matrimonium audivit, nam antea S. a familiaribus viri A. longe arcebatur! Addit testis uxorem conventam aliam dein iniisse relationem adulterinam, et nihil aliud, sed de fratris relatione item adulterina silet!

Alii testes, nec omnes, tantum aiunt S. ante nuptias haud honestos fortasse mores servasse, et postea alios amores fovisse et prolem ex alio viro suscepisse.

Cum nemo quidquam dixerit de proposito mulieris servandi libertatem contra fidei obligationem, ut iam dictum est, huic capiti omnino negative respondendum est. Quaestio in alteram reincidit, an vere uxor viro ius agnoverit solvendi matrimonium et ideo alii foeminae soluto matrimonio, adherendi, ut ipsa S. fatetur (cfr. n. 6).

8. *De capite exclusae indissolubilitatis.* Duplex hic proponitur quaestio, an S. ante nuptias ideas seu propositum contra bonum sacramenti umquam manifestaverit, praesertim per epistolam, ideoque an epistola, quae in actis reperitur, sit authentica, idest tunc temporis, ea die qua signatur, conscripta, et quinam huius epistolae sit sensus et valor.

A. - Cum totius causae exitus praecipue a praedicta epistola pendeat, de hac potissimum agendum est.

Ex parte actrice petitum fuit ut epistola perito calligraphico traderetur qui declarare debuisset an illa, aliis uxoris scriptis comparata, vere illi tempori esset tribuenda, nec fortasse postea conscripta. At dein huic petitioni renuntiatum est, cum difficillimum videretur ex eiusmodi judicio peritali absolute excludere eamdem fuisse postea conscripta, v. g. anno 1943, et ab uxore studiose in viri chartulario repositam. Quae suspicio ideo firmatur, quia ipsa noverat epistolam authenticam fuisse a viro dilaceratam! Adde quod fortasse alia uxoris scripta eius temporis deerant, quibus epistola in actis comparari posset.

Actor ait epistolam casu se reperisse anno 1943 cum de separatione agebatur. Uxor epistolam a se conscriptam agnoscit, mirans quod adhuc superesset, dum destructam putaverat. Sed partium contradictiones iam supra (n. 6) memoravimus.

9. Quoad testes, quattuor classes distingui possunt:

a) nonnulli testes epistolam omnino ignorant, prout noverca F. M., huius mater C. I., avia S. M. A. et D. F. J.;

b) alii recenter tantum, idest tempore suspecto, de eadem edocti sunt. In his:

R. M. J. ait: « Circa la indissolubilità ho visto una lettera nel giugno di quest'anno (1945) indirizzata dalla S. al mio fratellastro, credo qualche giorno prima del matrimonio ».

M. P. E. tantum eodem fere tempore (anno 1945) novit S. epistolam conscripsisse « contenente forse delle condizioni ».

D. A. testatur: « Nei giorni stessi in cui avvenne la separazione (anno 1943) o poco dopo, A. mi disse che la S. prima del matrimonio gli aveva scritto una lettera in cui mostrava di non aver un concetto serio del matrimonio e della sua indissolubilità; io però non ho visto la lettera e non ne conosco il contenuto preciso ».

D. T. (D. A. uxor) confirmat: « Ho sentito anche parlare di una lettera che ella avrebbe scritto al fidanzato; mi pare che questa cosa me l'abbia raccontata mio marito, ma su questo non so nulla di preciso ».

B. J. ab S., anno circiter 1940-41 (anne fortasse postea?) novit illam litteras scripsisse quibus sponso declarabat: « che

era disposta a lasciargli la sua piena libertà quando egli avesse voluto, e mi pare aggiungesse, ait, anche nel caso che ci fossero dei figli ». Anno 1940-41 iam discordiae aderant inter coniuges. Mirum autem quod uxor id quoque meminisset quod ait testis: « anche nel caso che ci fossero dei figli ». Anne epistolam *tunc* uxor paraverat?

D. B. D. item post nuptias, quo tempore non indicat, de epistola loqui audivit a S. sponso conscripta, sed nec eam vidit nec quid exprimeret novit.

Neque hi testes argumentum pro epistolae authenticitate exhibent, nam alia esse potuit vera uxoris epistola, alium sensum exprimens.

10. c) Tertio loco succedunt testes *qui paulo post initum matrimonium* epistolam ante fuisse conscriptam audierunt.

D. J., apud familiam S. famula, ait se iam ante nuptias ab S. de intentione scribendi quamdam epistolam ad sponsum fuisse confidenter edoctam; quod tamen ipsa S. excludit, quippe affirmet se patrem tantum de hac intentione monuisse. Addit vero sexto circiter mense post nuptias dominam ei confirmasse se epistolam vere scripsisse « per dare libertà anche a lui qualora non andassero d'accordo ». Sed de hac teste etiam infra dicemus.

Prof. N. C. praecipuus testis videtur, et refert: « Non so di condizioni poste (ab uxore). *Pochi giorni dopo le nozze* il A. mi mise al corrente di una lettera della S. che gli mandò prima del matrimonio, nella quale ella si diceva pronta a lasciarlo libero quando egli avesse voluto, e ciò come prova di affetto... Il A. *mi assicurò che la lettera era stata distrutta* immediatamente, mentre seppi, quando era già in corso la causa, *dalla S.* che la lettera era stata trovata. Il A. mi assicurò che la lettera fosse stata distrutta, e che l'aveva trovata per puro caso quando egli e la moglie avevano deciso di separarsi ». Iterum advertimus id suspicionem ingerere epistolam nobis exhibitam *nuper* fuisse artificiose paratam! Prof. N. addit etiam uxorem conventam antea putasse epistolam vere fuisse deletam, ita ut « quando (Actor) la presentò al Tribunale non mancò di meravigliarsi ». Anne S. admirationem simulavit ut fraudem dissimularet?

De his testibus sufficit adnotare documentum suis oculis

non conspexisse, ideoque de eius authenticitate fidem facere non posse; etsi prof. N. quaedam referat quae nostrae epistolae respondent, neuter de facultate petendi « l'*annullamento* del matrimonio » mentionem facit, sed tantum commemorat quandam genericam libertatem viro agnoscendam, quae matrimonii dissolutionem haud necessario importat.

11. d) Postremo demum loco recensentur testes qui iam ante nuptias litteras novisse earumque sensum aiunt.

R. S. M. testatur se antea ab S. audivisse: « che non era molto persuasa del passo che intendeva fare, perchè (l'A.) sessualmente non le faceva impressione tale da arrivare all'unione carnale »; affirmat immo quandam relativam saltem impotentiam coeundi vel frigiditatem inter sponsos, quippe vir A. videretur affici « di una pressocchè assoluta mancanza di trasposto sessuale », ipsa S. autem versaretur « in un leggero stato d'infantilismo non solo fisico ma anche psichico ». Iustam testem, S. epistolam scripsit etiam ob eiusmodi dubium de impotentia. Qua de causa dubitasset, non ait. Anne iam turpia admittere sponsi tentaverant? Id non arbitramur; potius censemus id testis phantasiae tribuendum esse, qui nullam fidem mereri videatur. Certo certius nulla de facto aderat impotentia quia uterque coniux fatetur matrimonium statim fuisse consummatum, et saltem per annum actus coniugales recte et normaliter adfuisse!

Ad rem vero de qua agitur, doct. R. ait: « Non so che (la S.) abbia posto una condizione esplicita. Ricordo però che *due giorni prima di sposarsi* lei, in seguito a qualche altra confidenza sul carattere durevole del matrimonio, *mi fece vedere una sua lettera* allo sposo, redatta in termini che così ricordo: « A conferma del precedente colloquio con te avuto, ripeto per iscritto che *intendo riserbarmi ogni qualsiasi libertà,* e questo anche per te, nei confronti dei vincoli coi quali stiamo per unirci: *tu conosci il mio stato d'animo,* ed il complesso dei miei sentimenti verso di te. Credo che non muteranno: pertanto così restando le cose, *noi ci consideriamo liberi come se il matrimonio non fosse avvenuto* ». Questa lettera era già munita di francobolli per essere impostata come raccomandata. Non mi consta positivamente che egli abbia accettato tali

condizioni, ma suppongo di sì ». Quae opinio si vera esset, Actorem inhabilem fecisset ad accusandum matrimonium.

Addit doct. R. epistolam S. scripsisse « edotta e istruita sulla portata di essa » cum esset « in buone relazioni con un canonico amico del prof. N. ». Si testis insinuat illam ideo quoddam consilium sumpsisse ab eo Rev.mo Canonico, profecto enormem calumniam profert, quae eum qualibet fide indignum reddit, prout de cetero infra dicemus.

12. Etiam amica C. P. A. similia testatur: « Sono andata dalla S. un mese circa prima del matrimonio, e compresi subito che era poco entusiasta del passo che stava per compiere: faceva questo matrimonio per liberarsi dalle poco floride condizioni finanziarie e per ragioni morali, perchè, orfana di madre, era senza soverchia assistenza da parte del padre: quindi attrattiva poca per il futuro sposo, faceva soltanto per sistemarsi ». His praemissis, testis haec alia refert: « La S. mi disse di aver *preso delle precauzioni* qualora il matrimonio non fosse riuscito felicemente: e queste precauzioni allo scopo di restituirsi reciprocamente la libertà. Le dissi: perchè allora ti sposi? e ripetè che aveva intenzione *di fare una prova* per liberarsi da una situazione che le riusciva ormai estremamente insostenibile. Ricordo che manifestò anche *la decisione di scrivere questi suoi propositi* al futuro marito prima del matrimonio, *ma io non ho visto lettera di sorta* »!

P. V. quoque intentionem amicae S. noverat. Ait enim: « Non ricordo se mi disse: l'ho inviata; o: la invierò (la lettera): certamente non me l'ha letta, ma mi ha detto che la sostanza della lettera dava la possibilità di rendersi libera dal marito quando le cose non andassero. Mi sembra di aver fatto l'osservazione che un matrimonio con quelle condizioni era invalido. Lei per tutta risposta mi fece un gesto come per dire: tu queste cose le capisci poco ».

Testis insuper exponit post nuptias amicam saepe hanc epistolam commemorare consuevisse, praesertim exeunte anno 1940, cum Mediolani coniuges aegrotantes invisisset. Cum vero ipsa ei objiceret virum potuisse epistolam negare a se receptam, S. respondisse ait: « No, ci sarà modo di constatare che la lettera fu inviata prima ». Vix ac ne vix quidem id intelligi

potest. Nonne uxor pro certo habebat epistolam statim fuisse deletam? quomodo ergo probare poterat illam conscriptam, et quidem ante nuptias, fuisse?

Sed testis, ut probaret uxorem conventam vere sibi effugium parare voluisse si matrimonium infelicem haberet exitum, addit S. quippe juridicis disciplinis quoque in Universitate incubuerat, apprime novisse matrimonium conditione contra eius naturam apposita irritari posse; veluti ac si S. etiam ius canonicum didicisset; immo dubitare audet, etsi amica id negasset, eam quendam Praelatum de sua intentione edocuisse, qui nuptiis quoque adstitisset. In quo quidem omnem credibilitatem excedit. Constat enim ex matrimonii documento nuptias coram proprio Parocho initas esse, nec Praelatum seu canonicum, de quo testis dubitare audet, unquam cum S. de his tractasse.

13. His testimoniis quaedam alia accedunt ex quibus evinci videretur uxorem conventam ante nuptias intentionem vel ideas contra matrimonii indissolubilitatem manifestasse, et ius sibi quoque riservasse discedendi a viro cum id ipsi commodius videretur.

Sic famula D. J. ait se ab S., ante nuptias ut videtur, audivisse: « in confidenza che avrebbe saputo trovare il modo per rendersi libera quando l'avesse voluto, e dare così libertà anche a lui »; postea vero: « se il matrimonio non va, so come rendermi libera », quibus addit ea quae supra, n. 10, audivimus.

D. T. id quoque affirmat: S. « mi disse due o tre volte (post nuptias) che essa poteva sciogliere il matrimonio in qualunque momento, perchè *durante la cerimonia aveva posto una riserva mentale*. Ma io non ho chiesto che riserva fosse, perchè la cosa mi sembrava addirittura enorme ». - « Enorme » quidem quod testis id effingere sit causa! cum de hac reservatione nemo loquatur.

M. P. E. testatur: « che la S. una volta (post nuptias) ebbe a dire che sarebbe rimasta col marito fin quando avrebbe avuto soldi, e poi se ne sarebbe andata ».

B. J. ex ipsius mulieris S. modo, quo de proprio matrimonio loquebatur, « ebbi l'impressione, ait, che la S. volesse tenere aperta una porta anche per sè ».

Demum S. M. opinionem profert qua ipsa uxorem conventam censet « capace di aver posto condizioni al matrimonio ».

14. Anne igitur concludendum est mulierem conventam revera non solum post nuptias vinculi solutionem optasse vel studiose excogitasse, sed iam ante nuptias matrimonii perpetuitatem excludere voluisse? Id testes evincere praetendunt. At contra plures adsunt gravissimae difficultates.

a) Et in primis adest ipsius mulieris conventae refutatio quae, quamvis viri actioni non resistat, declaravit, sub iurisiurandi fide, se nec ideas vel propositum contra matrimonii indissolubilitatem habuisse, nec manifestasse: « Non ci furono (ante nuptias) altre manifestazioni » praeter ea quae per epistolam sponso dixerat; « non posso indicare testimoni, perchè io parlai delle mie intenzioni (scribendi epistolam) solo con mio padre che mi sconsigliò; ma ora egli è morto » (Cfr. supra n. 5).

Quomodo ergo hi testes, de quibus supra n. 11, 12, 13, quae referunt noverunt? Anne omnes mendaces censendi sunt? certo certius eorum testimonia saltem vehementi suspicione afficiuntur, ideoque nullam vim probativam sortiuntur.

b) Praesertim hac suspicionis nota inuritur depositio testis R., tum quia et illi resistit S., quae se epistolam cuipiam legendam tradidisse excludit, tum quia *nimis* probare contendit uxori conventae attribuens quae in allata epistola nullo modo reperiuntur, scilicet eandem non ut sponsi amorem rependeret scripsisse, sed ex dubietate et animi perplexitudine (« tu conosci il mio stato d'animo, ecc. »), et quidem non ut viro libertatem agnosceret petendi opportuno tempore matrimonii solutionem, sed ut eiusmodi ius *sibi* in primis reservaret; tum quia ipsi viro Actori contradicit qui ait epistolam sibi ab ipsa sponsa fuisse manu traditam, dum testis supponit fuisse per publicos portores transmissam!

c) His testibus resistit mulier conventa etiam quatenus positive affirmat se novisse matrimonium christianum esse indissolubile, verum matrimonium inire voluisse, nec divortium seu vinculi solutionem cogitasse, nec ideo *sibi* reservasse ius solvendi matrimonium.

d) Omnem credibilitatem excedit D. T. reservationem

mentalem jactitans in ipsa celebratione consensui a sponsa appositam; nimis autem cuisdam iurisperiti suggestionem sapiunt testis V. P. verba de nullitate matrimonii sub conditione initi!

e) His difficultatibus aliae accedunt, tum quia Actor et uxori conventae et professori N. tunc confessus fuerat se epistolam statim destruxisse: num admitti potest illum e contra folium reservasse opportuno tempore reperiendum?; tum quia absurdum videtur id quod et in litteris legitur et uxor conventa coram Tribunali confirmavit, se voluisse sponso sui amoris et grati animi argumentum exhibere dum edicebat se illum sine moerore derelinquere paratam esse; absurdius forsitan quod vir iratus eam redarguerit et tamen jucunde duxerit, tum quia vix concipitur quomodo uxor S., quae se religionis officiis obsequentem declarat, fateri non vereretur: « So di commettere un grosso peccato », et tamen cum dein ad sacramentum Poenitentiae accederet, illud peccatum tam indifferenter reticuisset, veluti oblita, ut ait!

f) Adde quod ea, quae testes C., P. et D. referunt magis concordare cum doctoris R. testimonio videntur, potius quam cum litteris de quibus agimus! Hae testes, ab uxore conventa post actorum publicationem inductae, anne suggestionem passae sunt ex praedicti doctoris testimonio? Hae etiam videntur confirmare S., quin ex amore virum A. duceret, perplexam fuisse et *tantum* ex opportunitate nuptias celebrasse, quod fundamentum non habet!

15. An *vera* uxoris conventae epistola eos sensus expresserat quos doctor R. commemorat? Ut quid alia, quae minus probativa apparet, dein suffecta esset? An potius *vera* uxoris epistola tantum ea, quae prof. N. testatur, referebat, qua deleta, alia ab S. conflata, opportunioribus verbis additis, nobis exhibita est? Esto quod Actor sit omni suspicione maior, sed fortasse pari certitudine excludi nequit potuisse uxorem hanc fraudem perpetrare. Si capax simulationis, de qua Actor eam accusat, fuisse dicitur, nec excludi potest etiam eiusmodi fraudis hypothesis.

Quoad primam quaestionem ideo, de epistolae authenticitate, concludendum est eam valde dubiam videri, ideoque nec satis certum uxorem conventam *viro suo* antequam nuberet

agnovisse ius solvendi matrimonium; eo minus admitti posse uxorem *sibi quoque, vel sibi in primis,* eiusmodi ius reservasse; et testes id adfirmantes fidem non mereri.

Verum quidem est R. testes tamquam religiosas et fide dignas exhiberi; sed idem testimonium est in actis de uxore conventa, et tamen evidenter vel ista vel illae falsum sub iurisiurandi fide deposuerunt: quare, ut dictum est, uxori contra se dicenti, licet interesse habeat ad matrimonium dissolvendum, fidem habere malumus.

16. - B. - Ad alteram quaestionem quod attinet, de sensu praedictae epistolae tribuendo, brevius dicendum est.

Actoris defensor ita ratiocinatur: uxor S. viro suo ius solvendi matrimonium agnoscebat *ad eius nutum;* ergo iuri suo renuntiabat ad matrimonium indissolubile, idest matrimonium dissolubile ad nutum coniugis acceptabat, ergo et ipsa matrimonium dissolubile intendebat, bonum sacramenti excludens.

At contra est quod, etsi admittatur uxorem viro suo ius solvendi matrimonium tribuere voluisse, constat virum id nullo modo acceptasse, et suam reprobationem sponsae statim opposuisse: « Io mi meravigliai, mi indispettii, volevo stracciarla », immo epistolam vere dilacerasse tunc dixerat. Uxor ideo matrimonium contraxit verum matrimonium indissolubile (ut judicialiter confessa est) intendens, sciens virum quoque matrimonium verum absque ulla reservatione inire velle; consensum purum et legitimum expressit et consensum purum et legitimum excepit. Reservatio, si qua facta erat, non perdurabat in actu matrimonii, quia viro eam recusanti acquiescens, et nihilominus contrahens, eidem renuntiasse iure censetur.

Etsi ideo admittatur epistolam esse authenticam, dicendum est omnem vim amisisse ex viri non acceptatione.

17. Sed insuper quid eadem sonat? S. viro promittit « di non levare nessuna protesta a *qualunque* domanda di annullamento di matrimonio »: non *ius* viro agnoscit matrimonium ad nutum solvendi, seu ineundi matrimonium solubile, sed tantum promittit *se passive habituram* si vir solutionem petiturus esset. Addit quidem: « perchè io vado incontro al sacramento *con il chiaro pensiero* che, qualora tu volessi, *esso può essere infranto* ». Exponit scilicet uxor *opinionem seu ideam*

erroneam, matrimonium ex viri voluntate frangi posse; iam vero simplex error circa matrimonii indissolubilitatem ipsum matrimonium non irritat (can. 1084).

De cetero quid uxor S. dicere voluit his verbis: « annullamento di matrimonio - sacramento infranto »? Juxta quasdam testes, ipsa utpote juridicis disciplinis experta, vim reservationis seu conditionis consensui matrimoniali appositae apprime cognoverat: novisse ergo debuit matrimonium, utpote indissolubile, si valide initum numquam dissolvi posse; novisse debuit improprie omnino et erronee a profanis appellari « annullamento » simplicem nullitatis originariae declarationem; novisse debuit reservationes et conditiones contra matrimonii substantiam illud ab initio invalidum efficere. Anne S. sciens volens sacramentum simulare ausa est, et sub specie matrimonii concubinatum instituere? Id ipsa excludit coram Tribunali et sub iuramenti fide declarans se voluisse verum, ideoque validum et indissolubile matrimonium inire.

Quodsi, in sua epistola, S. addit: « Quando e nel modo che tu ed io si giudicherà opportuno, io ti lascerò senza protestare », haec verba haud necessario « divortium » supponunt, quod S. se intendisse excludit, sed etiam de simplici separatione, vinculo permanente, intelligi possunt.

18. Concludendum est ex allata epistola validum argumentum pro nullitate matrimonii ob exclusum bonum sacramenti derivari non posse: quae conclusio confirmatur ex judiciali mulieris examine. Sub vinculo iuramenti enim declaravit: « Io non feci proprio dichiarazioni contro l'indissolubilità del matrimonio... dichiaravo di lasciarlo libero se lui me lo avesse chiesto... Intendevo dire al A. che gli lasciavo piena libertà quando la mia compagnia gli fosse diventata pesante. Io non ho pensato al divorzio in senso stretto, cioè alla rottura del vincolo coniugale ». Si ergo non cogitavit, nec voluit. « Però io *pensavo* di fornirgli un documento *che potesse veramente servire all'annullamento del matrimonio* ». Quod etsi admittatur, de facto inservire non potuit, ut diximus, quia vir illud recusaverat. « Quindi *io* intendevo veramente contrarre matrimonio, e per conto mio non mi riservavo per me la libertà di far annullare il matrimonio: la riconoscevo invece a lui. Ho inteso quindi dire che, se avesse voluto l'annulla-

mento del matrimonio, io l'avrei accettato senza protestare ». Quae verba etiam recte interpretari possunt, eo sensu quod, si quod impedimentum detegi contingeret, matrimonium irritans, v. g. si revera adfuisset impotentia quam insinuat testis R., ita ut vir legitime nullitatis declarationem peteret, illa nullo modo obstituram promitteret.

Concluserat uxor conventa: « Io sapevo che il matrimonio cristiano è indissolubile », nec addit se matrimonium simulare voluisse, sed: « ho voluto scrivere egualmente la lettera, perchè non sapevo in quale altro modo testimoniargli il mio affetto ».

Quod de matrimonio illa *recte sentiret* confirmat testis prof. N. qui ait: « (S.) aveva un concetto serio del matrimonio, tant'è vero che alcune volte l'ho sentita controbattere certe espressioni meno corrette sul matrimonio di una persona che lamentava le sue tristi esperienze matrimoniali ».

19. Actoris clarissimus advocatus in postrema sua defensionali contradictiones, de quibus supra, explicare et difficultates solvere aggreditur, et opinatur uxorem conventam intentiones seu propositum, quibus *sibi quoque* ius dissolvendi matrimonium reservare statuerat, vere doctori R. et testibus recinetensibus revelasse, eidemque R. vere epistolam legendam exhibuisse eiusmodi intentionibus consonam, non quidem biduo sed pluribus diebus ante nuptias, cui epistolae tamen dein aliam substituisset, prout est in actis, qua illud ius minus clare *sibi* reservabat, ne se proderet.

Sed contra est quod uxor, ut vidimus, aperte declaravit se eiusmodi ideas nunquam alias manifestasse, cum nunquam matrimonium dissolubile ipsa cogitasset; hypothesis autem de duplici epistolae textu seu exemplari non est quidem absurda, sed nullo obiectivo fundamento firmatur.

Nec admittenda videntur ea quae Advocatus scribit ad explicandam uxoris conventae assertionem « che essa intendeva per proprio conto di assumere le obligazioni »: « Sarebbe stato ingenuo attendersi dichiarazioni diverse, ait. La convenuta non può certo ignorare che il marito l'accusa di aver compiuto l'assalto alla diligenza ». Esto quidem: tamen etiam uxor conventa se quoque pro nullitatis declaratione certare

non dissimulat. Mirum videtur voluisse nihilominus nullitatis caput negare vel excludere.

20. Adhuc objicit Advocatus: « E' sufficiente porre come realizzabile l'ipotesi del suo scioglimento perchè il contratto non sorga validamente. Ed è sufficiente che l'ipotesi sia posta da una sola parte. La proprietà essenziale della perpetuità non tollera flessioni... Nel caso per la S. la flessione era costituita addirittura dal nutus del marito ». E contra, valde id influit; nam vir non tantum non consensit, sed suum dissensum aperte sponsae manifestavit eiusque propositum reprobavit: et tamen S. nupsit, sciens virum velle matrimonium indissolubile et in matrimonium indissolubile consentiens. « L'impegno di sottostare al nutus » ideo ex se ipso decidere debuit!

Videretur simulatio ex parte uxoris conventae probari ex eo quod ipsa (ut Actor et nonnulli testes aiunt) matrimonium contraxisset non ex amore, sed ut rei familiari pessumdatae provideret per matrimonium conveniens et opportunum. Advocatus quaedam documenta exhibuit ut probaret Actorem revera ingentem pecuniam in favorem uxoris expendisse qua illa et quaedam matris suae bona immobilia redimere potuit et alia acquirere.

Sed facile reponitur alicuius matrimonii convenientiam non ideo inducere posse praesumptionem pro intentione simulandi: quot matrimonia hac de causa ineuntur, et recte ineuntur!

Concludimus ergo ex actis et probatis non evinci intentionem contra bonum sacramenti, nec, a fortiori, contra bonum fidei matrimonium irritantem.

21. Quare omnibus mature perpensis tum in jure tum in facto, Nos infrascripti Judices pro Tribunali sedentes atque Dei Nomen invocantes, proposito dubio respondendum censuimus « *negative* »; ideoque dicimus, decernimus, declaramus atque definitive sententiamus: *non constare de nullitate matrimonii in casu.*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE NOVISSIMA LEGE PROCESSUALI ECCLESIAE ORIENTALIS EDITA MOTU PROPRIO « DE IUDICIIS »

A primis temporibus Ecclesia sibi ius iudicandi causas spirituales suorum fidelium vindicavit. Imo eas etiam temporales controversias non coram iudice Romano sed in ipsius Ecclesiae gremio tractare voluit, quemadmodum exhortatus est S. Paulus Corinthios: « Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum iudicari apud iniquos et non apud sanctos?... Saecularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum »... 1 Cor., VI, 1, 4. Qua ratione Episcopus in causis sive disciplinaribus sive civilibus processerit, videmus ex Didascalia [1].

Pace Ecclesiae reddita a Constantino, Imperatores ipsi ambitum potestatis iudiciariae Episcoporum augere studuerunt. De natura huius potestatis eiusque ambitu etiam recentioribus temporibus docti multum disputaverunt. Certum saltem est causas quae disciplinam ecclesiasticam spectabant aut civiles quoque quae inter clericos movebantur, coram iudice ecclesiastico esse peractas. In his iudiciis iudices ecclesiastici sequebantur normas sive in revelatione divina, sive in canonibus sanctorum conciliorum comprehensas. Praeter has regulas non adeo numerosas in aliis multis applicabant normas iuris Romani, quatenus iudiciis ecclesiasticis facile aptari posse videbantur.

Id factum est in Ecclesia latina; id factum est in Ecclesia quoque byzantina [2]. Ceteri Orientales qui doctrinas a fide publica imperii alienas proponebant, uti Nestoriani, Monophysitae etc. traditam in causis ecclesiasticis procedendi rationem excolentes, propriam de iudiciis ordinem sibi constituerunt [3].

Progredientibus vero temporibus talem ordinem iudiciarium in plerisque deficere nostrisque temporibus iam non esse adaptatum apparuit. Nonnulli idcirco ex Orientalibus dissidentibus his

---

[1] Lib. II, XI-XVIII; XXIV ss., ed. F. Funk, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, t. I, Paderborn 1905, pp. 46 ss; 139 ss. Cf. H. Achelis et I. Flemming, *Die syrische Didaskalie*, Lipsiae 1904, pp. 298 ss., 307 ss.

[2] Cf. A. Steinwenter, *Der antike kirchliche Rechtsgang und seine Quellen*, *Zuschr. d. Savigny-Stiftung*, Kan. Abt., t. 23 (1934), pp. 1-116.

[3] Apud Nestorianos habetur Liber legum vel iudiciorum Metropolitae Išo'bokht (saec. VIII-IX), lib. VI, ed. E. Sachau, *Syrische Rechtsbücher*, t. III, Berolini 1914, pp. 183-201, et Abd-lšo (saec. XIII-XIV), *Ordo iudiciorum ecclesiasticorum*, lib. II, tract. II, latine interpretatus est I. M. Vosté, Romae, 1940, pp. 148-169. Apud Syros Monophysitas consulendus Bar Hebraeus, *Nomocanon*, ed. A. Mai, *Scriptorum Veterum Nova Collectio*, t. X, Romae 1938, pp. 240-268.

remedium afferre studuerunt. Ita in imperio Russico Statutum Consistoriorum Ecclesiasticorum editum est (2ª editione anno 1883) quod, licet totam administrationem eparchialem attingat, non pauca ad processum ecclesiasticum pertinentia habet [4]. Promulgato Codice matrimoniali Ecclesia serbica anno 1933 sibi etiam Codicem iudiciarium praestituit [5]. Similiter Patriarcatus graecus Alexandrinus proprias leges ecclesiasticas renovans, novum ordinem de iudiciis introduxit [6]. Notandum autem est hos ordines iudiciarios recentiores magis sequi exemplum Codicum processualium civilium quam leges iuris antiqui. Nec mirum; nam condiciones temporum valde mutatae sunt ideoque leges quoque necessitatibus nostris aptari debent.

Fontes praecipui iuris Orientalium catholicorum constituuntur actis et decretis conciliorum particularium. In quibus iudicia ecclesiastica plerumque breviter tantum vel etiam brevissime tanguntur. Vix quid habetur in concilio Zamosceno Ruthenorum a. 1720, tit. VI, [7], pauca in concilio Montis Libani Maronitarum, P. III, c. iv et v [8] et in concilio Sciarfensi Syrorum, cap. XIV de iudiciis in genere [9]. Item valet de concilio Romano Armenorum a. 1911 [10]. Fusius de eadem re agunt Copti in concilio Alexandrino (a. 1898), Sect. III, cap. VI [11] et Rumaeni in I° concilio prov. Albae-Juliae et Fagaras (1872), tit. X et in II° concilio prov. (1882) tit. V [12].

Ut praecipua saltem capita saltem toti Hierarchiae Orientali proponeret, S. C. Sancti Officii anno 1883 Instructionem de processu matrimoniali edidit. (Haec Instructio in plerisque convenit cum Instructione missa eodem tempore a S. C. de Prorpaganda Fide ad Episcopos sibi subiectos) [13].

Die 6 vero ian. huius anni Pius PP. XII Motu proprio « Solicitudinem Nostram » novam legem de Iudiciis pro tota Ecclesia Orientali promulgavit. Huic legi subiecti sunt de se omnes chri-

---

[4] Cf. Ae. Herman et A. Muyts, *Textus selecti iuris ecclesiastici Russorum*, Romae 1944, cap. XXII, p. 330-352.

[5] *Postupak za sudove u srpskoj pravoslavnoj crkvi*, *Glasnik*, t. XIV (1933), pp. 705-745.

[6] *Κανονισμοὶ τοῦ Πατριαρχείου Ἀλεξανδρείας*, Alexandriae 1935, pp. 139-199.

[7] *Acta et decreta SS. Conciliorum recentiorum*, Collectio Lacensis, t. II, Friburgi 1876, col. 51.

[8] *Ibid.*, col. 322 ss., 329 ss.

[9] *Synodus Sciarfensis Syrorum*, Romae 1897, pp. 274-277.

[10] num. 961-997, pp. 457-464.

[11] *Synodus Alexandrina Coptorum*, Romae 1899, pp. 212-247.

[12] *Conc. I*, tit. X de iudiciis eccles., Mansi, t. 42, cc. 603-610; *Conc. II*, tit. V, sect. II; tit. V: Mans. t. 45, cc. 734-776.

[13] *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide*, t. II, Romae 1907, n. 1588, p. 179 ss.; instructio S. C. de Prop. Fide invenitur n. 1587, ib. p. 172 ss.

stiani rituum orientalium sive catholici sunt sive non. Liquet autem eam praecipue catholicos spectare. Ceterum legenti canones Motu proprio statutes, mox apparet eos in plerisque cum disciplina statuta CIC pro Latinis convenire. Rationes autem propter quas legislator ita egerit, has fuisse coniicere possumus.

1) In ipsis Ecclesiis orientalibus non inveniebatur traditio firma et sat completa et generaliter recepta, quae omnibus praestitui posset; sed vel omnino deficiebat vel in multis saltem, et antiquis temporibus aptata erat, non recentibus. 2) Ipsae normae in CIC contentae, etsi accomodatae sunt necessitatibus nostrae aetatis, sub multiplici respectu antiquam traditionem iuris Romani conservant vel continuant. Notum est autem quantam auctoritatem habuerit a saec. IV ius Romanum apud christianos Orientis, praesertim imperii byzantini. Hac ratione novum ius Orientalibus praestitutum ab antiqua eorum traditione non divellitur. 3) Cum rationes neque historicae neque in ipsa re sitae pro diversitate starent iuris latini et iuris orientalis, non erat cur arte diversitas crearetur. Contra non paucis rationibus suadetur ut unus idemque ordo iudiciarius in Ecclesia vigeat: ita ut eaedem normae de iudicibus, de partibus in causa, de disciplina processus etc. habeantur, praesertim cum eadem causa in variis instantiis non raro coram tribunalibus orientalibus et tribunalibus latinis idest Sanctae Sedis agatur.

Idcirco mirum non est quod inter normas CIC et normas Motu proprio editas magna similitudo habeatur. Ex altera vero parte non omnes diversitates excluduntur. Duplex genus earum distinguere possumus. Alterum quod spectat merarm formam legis: ita in Motu proprio utpote lege posteriore nonnulla clarius dicuntur quam in CIC. Laudatus est CIC a viris competentibus propter formam dicendi perspicuam et distinctam, propter linguam latinam simplicem et intelligibilem etc. Sed in omnibus operibus humanis aliquid perficiendum manet; in MP studium apparet redeundi ad modum dicendi magis classicum, vitandi certas voces latinitatis segnioris etc. Nos in hac brevi lucubratione his non immorabimur. Alterum genus diversitatum ipsam substantiam legis spectat. Nos hic de principalioribus dicemus, additis in fine aliquibus observationibus de minoribus.

I. Inter praecipuas differentias iuris latini et iuris orientalis haec habetur quod secundum ius vigens in Ecclesia latina Episcopi immediate Romano Pontifici subiiciuntur, exceptis paucis casibus, in Ecclesia orientali vero, ibi saltem ubi Hierarchia plene constituta est, mediate, exceptis certis casibus. Haec ipsius ecclesiasticae constitutionis diversitas in plerisque partibus iuris magni momenti est, praesertim vero in iure processuali.

Quae hodie in Ecclesia orientali conservata sunt, certa aetate in tota Ecclesia recepta erant. Ab initio enim IV saeculi post Chr. praesertim in Oriente divisio territorii ecclesiastici divisionem territorii statalem sequi coepit. Ita certus numerus dioecesium (illo tempore potius paroeciae dicebantur) constituebant provinciam cui praeerat Metropolita; provinciae in dioecesi statali sitae in superiorem unitatem coniungebantur cuius praesidi a saeculo V nomen patriarchae dabatur. Postquam Episcopi tres minorum dioecesium Asiae, Ponti, Thraciae Episcopo Constantinopolitano subiecti sunt, in Oriente 4 patriarchae inveniebantur, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; in Occidente titulus patriarchae datus est Romano Pontifici, quamquam eius auctoritas re vera superiore potestate nitebatur. Sub eius auctoritate vero etiam hic constituti sunt primates qui vastioribus regionibus praeficiebantur et Metropolitae. Hac ratione in tota Ecclesia varii gradus Episcorum inveniebantur ex quibus alteri alteris subiiciebantur [14].

In Occidente vero paulatim auctoritas et potestas sive Primatum sive Metropolitarum diminuta est. Quae a concilio Tridentino statuta sunt in Codicem I. C. fere transierunt. Id ab antiqua traditione intactum receptum est quod tribunal metropolitanum est tribunal ad quod appellatio fit a tribunali dioecesano. In Oriente vero numerus quidem Patriarcharum auctus est, sive quod propter internas divisiones plures Patriarchae eiusdem tituli constituti sunt, (P. Malchitarum, Maronitarum, Syrorum, Coptorum), sive quod nova regna, ad fidem christianam conversa, sibi proprium patriarcham vindicaverunt (Bulgaria, Serbia, Russia etc.). Sed auctoritas et potestas Patriarchae intacta mansit: ipse habebatur caput Ecclesiae cui praeerat, et Superior omnium huius Ecclesiae Episcoporum et Metropolitarum. Decrescente vero numero fidelium, ubique in patriarchatibus potestas Metropolitarum ad Patriarchas transiit, ita ut hodie Metropolitae cum antiqua potestate metropolitana in patriarchatibus non iam inveniantur [15]. Licet constitutio patriarchalis Ecclesiae necessitatibus et indoli Orientalium maxime congrua videatur, propter varias rationes sive internas sive externas non ubique introducta est; tamen in non paucis regionibus ubi patriarchatus constitui non poterat, unus ex Episcopis potestate metropolitana superiore munitur; imo apud dissidentes solo fere ti-

---

[14] Cf. B. Kurtscheid, *Historia iuris canonici*, Historia Institutorum, t. I, Romae 1941. pp. 40 ss., 116 ss., 120.

[15] Cf. A. Coussa, *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico orientali*, t. I, Romae 1948, pp. 287 ss. Ceterum in multis regionibus ipsa Patriarchae potestas magis limitatur quam antiquis temporibus, praesertim iuribus tributis Synodo permanenti.

tulo differt a patriarcha. Hic titulus est « Archiepiscopus et Metropolita » [16]. Huius quosque gradus hierarchici in MP sermo habetur. Quibus animadversionibus praemissis iam transeamus ad explicationem canonum qui ad hanc Hierarchiae orientalis peculiarem constitutionem pertinent.

1. Et primo quidem dicendum est de foro Patriarcharum, Episcoporum, Archiepiscoporum. Secundum can. 15; XX° « Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi, 2° ... S. R. Cardinales et Patriarchas ». *Patriarchae* igitur sive in criminalibus sive in contentiosis exclusivum forum habent coram Romano Pontifice. Talis norma nova est, sed omnino consentanea. Ab antiquissimis enim Ecclesiae temporibus Patriarchae summa auctoritate et veneratione gaudent. Id valet praesertim de illis patriachis qui antiquos sedes occupant, Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam. In ipso concilio Lateranensi IV (1215) Patriarchis praecedentia immediate post Romanum Pontificem servata est [17]. Sed Orientalibus omnibus fere ab Ecclesia separatis, auctae sunt praerogativae S. R. Ecclesiae Cardinalium qui tamquam senatus Romani Pontificis considerari coeperunt; hisque primi loci post Romanum Pontificem reservati sunt. Antiquitus sane Patriarchae non raro a concilio oecumenico iudicabantur, praesertim cum ageretur de causis fidei; ita Nestorius a concilio Ephesino, Dioscorus a concilio Chalcedonensi etc. Propter imperatorum in res ecclesiasticas immixtionem non raro causae Patriarcharum mandato imperatoris ab aliis Patriarchis una cum synodo Episcoporum examinatae sunt. S. Ioannes Chrysostomus sane prudenter declinavit iudicium de Theophilo Alexandrino; sed hic est mandato Arcadi, odio impulsus, S. Ioannem in nota synodo apud quercum condemnavit. Posterioribus temporibus synodus patriarchalis Metropolitarum et Episcoporum iussu imperatoris congregabatur ut de Patriarcha iudicium ferret, v. g. de S. Ignatio, de Nicolao I Mystico etc. Ad Romanum Pontificem illis temporibus iudicium tantum deferrebatur cum Patriarcha ad eius sedem appellasset.

Mutatis autem adiunctis, cum ipsi Episcopi in criminalibus a Romano Pontifice, in contentiosis a Tribunalibus Sedis Apostolicae iudicentur (cf. CIC c. 1557 § 1, 3° et § 2, 1°) dignitati Patriarcharum modo convenienti providendum erat. Quamquam numerus fidelium eis subiectorum pluremque parvus est, dignitas sedis non ex numero aestimetur oportet, sed ex gloriosa eius, traditione et historia ex eius auctoritate morali et religiosa. Iamvero patriarcha orienta-

---

[16] Cf. A. Coussa, loc. cit., p. 212, 283.

[17] Mansi, t. XXII, col. 989 ss.

les sunt successores SS. Patrum orientalium qui fidem contra persecutores et contra haereticos strenue defenderunt, ipsi successores Apostolorum et discipulorum Domini qui primi Evangelium in his regionibus praedicaverunt. Nostris quoque temporibus patriarchatus orientales sunt testes verae fidei in regionibus ubi Evangelium primum annutiatum est. Nullum dubium quis sub hoc respectu nomen patriarchae dignum sit speciali veneratione; cuius rei in iure processuali signum et manifestatio est can. 15, n. 2.

2. Non minus momentum quam ad forum Patriarcharum, peculiaris constitutio Ecclesiae orientalis ad forum *Episcoporum* habet. In iure latino secundum CIC, can. 1557 3° omnes Episcopi, etiam titulares in criminalibus iudicantur ab ipso Romano Pontifice. Episcopos vero residentiales iudicare in contensiosis reservatur Tribunalibus Sedis Apostolicae, salvo praescripto can. 1572 § 2 (ubi de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae diocesanae agitur). De Episcopis titularibus hic sermo non est; auctores ex hoc deducunt quod subiiciuntur in contentiosis tribunali Ordinarii loci [18].

In iure orientali res magis implexa est. Episcopi qui non pertinent ad patriarchatum vel archiepiscopatum vi Motu proprio iisdem normis tenentur atque Episcopi latini vi CIC. His igitur non immorabimur sed loquemur de Episcopis subiectis Patriarchae vel Archiepiscopo.

Antiquis temporibus, divisa Ecclesia praesertim orientali in provincias, iudicium de Episcopo spectabat ad synodum provincialem cui praeerat Metropolita. Ita iam in concilio Antiocheno (330-332) stabilitum est, cf. can. 12-15 [19]. Concilium Chalcedonense (451) vel melius diversos Hierarchiae gradus distinxit. Stabilitum est can. 9 et 17 ut causae clerici contra clericum coram Episcopo, causae contra Episcopum proprium coram Metropolita, causae contra Metropolitam coram Exarcho dioeceseos vel coram Patriarcha regiae urbis Constantinopolitanae diiudicarentur [20]. Idem quoque in lege civili sancitum est, cf. Cod. I., 1, 4, 29 et Nov. CXXIII, c. 22. Cum de numero minimo Episcoporum quaereretur quibus opus esset ut cum Metropolita seu Patriarcha de Episcopo vel Metropolita iudicarent, ad tramitem can. Carthaginiensium in collectiones byzantinas receptorum, can. 12 et 20, responsum est ad validum iudicium saltem 12 Episcopis praeter Metropolitam vel Patriarcham opus esse [21]. Posterioribus vero temporibus auctoritas Metropolita-

[18] F. Roberti, *De Processibus*, t. I, Romae, ed. 2, 1941, p. 185.

[19] J. B. Pitra, *Iuris ecclesiastici Graecorum Historia et Monumenta*, Romae, t. I, 1864, p. 460 s.

[20] *Ibid.* p. 526, 528 s.

[21] Rhalli - Potli, *Syntagma*, t. III, p. 322 ss.; PG, t. 138, col. 57 ss.

rum diminuta est eorumque iura usurpata sunt a Patriarchis. Ita nunc apud dissidentes semper Patriarchae una cum synodo Episcoporum est iudicare Episcopos sibi subiectos.

In catholicorum disciplinam vero non parvam vim habuerunt quae statuta sunt a concilio Tridentino, sess. XIV, de reformatione, c. 5 (cf. sess. XIII de reform., c. 8). Ut enim Episcopos melius contra arbitrium Metropolitarum tuerentur, PP. huius concilii decreverunt ut « causae criminales graviores contra episcopos, etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum Summo Pontifice cognoscantur et terminentur ». Admittitur ut commissio fiat Metropolitanis aut Episcopis a beatissimo Papa eligendis. « Sed hi solum instructionem facti sumant et processum conficiant quem statim ad Romanum Pontificem transmittant... Minores vero criminales causae Episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur ». Haec statuta concilii Tridentini a plerisque Orientalibus catholicis recepta sunt. Ita concilium Montis Libani Maroniterum (1736) ipsius concilli normas reproduxit, ita tamen ut commissio specialis semper ad Patriarcham detur, qui in synodo provinciali causam instruat et processum conficiat. Si autem de gravi culpa Episcopi constiterit, eundem ab officio suspendere et in aliquod monasterium detrudere (non autem deponere) licere, donec Sedes Apostolica definitivam sententiam executioni demandandam praecipiat, aut reum absolvendum iubeat » [22]. Secundum has normas interpretandum videtur responsum datum a S. Congregatione de Propaganda Fide die 8 Julii 1774: « Non licere Patriarchae (maronit.) privare Episcopos sua diocesi, neque in totum eis adinere iurisdictionem, inconsulto Synodo Episcoporum. In reliquis posse contra eos procedere iuxta canonicas sanctiones » [23]. Non prohibitum erat Patriarchae irrogare censuras aliasque poenas minores Episcopis delinquentibus, servatis normis in hac re datis. Interdum sane querelae de modo arbitrario procedendi Patriarcharum auditae sunt et in casu talis querelae contra Patriarcham melchitam motae Romae deliberatum est, an conveniat decernere Episcopum non posse puniri a Patriarcha nisi cum interventu ceterorum Episcoporum vel saltem partis eorum. Responsum est die 15 Sept. 1777 a S. C. de Propaganda Fide: « Serventur canones Ecclesiae universalis et constitutiones synodales nationis graeco-melchitarum » [24].

Concilia recentiora vel explicite, vel implicite ad normas concilii Tridentini provocant, ita Concilium Sciarfense Syrorum (1888),

[22] Pars III, cap. IV, n. 33, *Collectio Lacensis*, col. 325.
[23] *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, t. I, n. 506, p. 313.
[24] *Codificazione can. orient.*, *Fonti*, ser. I, t. XV, n. 673, cf. nn. 671 et 672.

Caput VII, art. iii [25], Concilium Alexandrinum Coptorum, Sectio III, cap. I, art. iii [26], Concilium Romanum Armenorum, num. 194. Nil mirum igitur quod in MP eaedem regulae confirmantur: In causis criminalibus maioribus Patriarcha cum Synodo processum instruere debet, Romano Pontifici, ferendae sententiae causa, transmittendum (cf. can. 17 § 1, 2°). Patriarcha insuper, ad scandalum vitandum, remedia opportuna interim adhibere potest. Causas criminales minores vero Episcoporum sibi subiectorum, Patriarchae cum Synodo iudicare competit (cf. ib. § 1, 1°). Id tantum notandum est, in fontibus anterioribus sermonem fuisse de synodo patriarchali seu omnium Episcoporum patriarchatus. In MP vero competentia iudicandi Episcopos tribuitur Synodo permanenti. De hac Synodo mox plura dicemus. Cur haec mutatio facta sit in nova lege, facile intelligitur. Convocare Synodum patriarchalem rarius tantummodo contingit, propter difficultatem omnes Episcopos congregandi et talem conventum debito modo praeparandi et habendi. Cum autem de criminibus puniendis agitur, mora non est admittenda. Ex altera parte Synodus permanens ita componitur ut non sit timendum ne partium studio indulgeat.

Animadvertendum quoque est quinam Episcopi subiiciantur foro patriarchali. Duplex condicio requiritur: 1) ut sint subiecti Patriarchae et 2) ut habeant domicilium vel quasi-domicilium in patriarchatu. Prior condicio facile intelligitur; nam Patriarcha potestatem iudicialem habent super illos tantum Episcopos qui suae iurisdictioni subiiciuntur. Requiritur igitur ut eiusdem ritus sint atque Patriarcha, saltem secundum ius vigens, et ad ipsum patriarchatum pertineant, non extra patriarchatum eparchiam habeant, uti archiepiscopus Leopoliensis Armenus. Altera condicio est ut Episcopus habeat domicilium vel quasi-domicilium in patriarchatu. Ita Episcopus qui sede sua non abdicata se in Status Foederatos Americae confert ibique quasi domicilium acquirit, quamquam ad patriarchatum pertinere pergit, tamen non convenitur coram tribunali Patriarchae sed sequitur regulas de Episcopis extra patriarchatus statutas. Hic sine dubio ratio habita est difficultatum quae actoribus pararentur ex praescripto contrario.

Quae de Episcopis Patriarchae subiectis statuuntur, aliqua ratione applicantur Episcopis subiectis Archiepiscopo. Aliquid vero breviter de hac figura dicendum est.

3. In antiqua Ecclesia titulus *Archiepiscopi* diverso modo tribuebatur. Vocabantur hoc nomine aliqui insignes Episcopi sive

---

[25] p. 213-4.
[26] p. 183 10).

propter meritum personae, ut S. Athanasius, sive propter sedis praestantiam [27]. A saeculo V titulus quoque ordinarius factus est Episcoporum qui Metropolitis non subiecti erant, sed neque alios Episcopos subiectos habebant, ut habebant Metropolitae. Hic Archiepiscoporum ordo medium igitur tenebat inter Episcopos comprovinciales et Metropolitas, atque Archiepiscopi autocephali dicebantur ideo quod non subordinabantur capiti (Metropolitae) sed immediate Patriarchae. Per multa saecula magnus numerus horum Archiepiscoporum in Ecclesia byzantina habebatur, sed paulatim hic titulus obsoletus evasit cum omnes Episcopi ad titulum Metropolitae ascendere niterentur ita ut in Ecclesiis graecis non iam relinquerentur qui gestarent titulum simplicis Episcopi. Perduravit vero usus dandi titulum Archiepiscopi Episcopis qui sedibus principalibus praesunt; apud dissidentes caput Ecclesiae autocephalae se Archiepiscopum dicere solet, sive est Archiepiscopus et Patriarcha, sive Archiepiscopus et Metropolita, v. g. Archiepiscopus et Metropolita Atheniensis.

Titulus Archiepiscopi in MP designat figuram peculiarem. Non Archiepiscopum « minorem » si ita fas est loquendi, seu Archeipiscopum honoris causa, ut apud Latinos omnes Metropolitae aliique certi Episcopi hunc titulum gestant, et interdum etiam similiter apud Orientales. Ex altera parte, ut ex canonibus apparet, non habet eandem potestatem atque Patriarcha, tamen talem quae sub pluribus respectibus similis est potestati Patriarchae. Ex can. 20 § 3 apparet archiepiscopalem dignitatem coniunctam esse cum sede metrorpolitana extra patriarchatus sita; non omnes autem Metropolitae tali potestate fruuntur, sed illi tantum quibus haec a Romano Pontifice aut a Synodo Oecumenica data, seu, si iam orta est antiquitus, agnita est. Non mirandum quod in MP figura Archiepiscopi non sub omni respectu definiatur, sed tantum quatenus respicit ius processuale. Hic praesertim videndum qua ratione Archiepiscopus foro privilegiato gaudeat vel forum peculiare constituat pro Episcopis sibi subiectis. Iamvero ad primum quod attinet Archiepiscopus non gaudet praerogativa Patriarchae de quo iudicare reservatur Romano Pontifice; sed regulas generales sequitur quae de Episcopis statutae sunt. Ex altera vero parte ei competit cum Synodo permanenti, processum instruere quod attinet ad causas criminales Episcoporum sibi subiectorum qui in archiepiscopatu domicilium vel quasi-domicilium habent, sed tantum si de causis criminalibus minoribus agitur; neque in his ferre potest sententiam nisi praevia Romani Pontificis delegatione. Causae cri-

---

[27] Amanieu, art. *Archeveque*, *Dict. de droit canonique*, t. I, col. 927 ss.; E. Herman, ibid., art. *Autocéphale*, col. 1475 ss.

minales vero maiores quae nempe poenam privationis officii aut depositionis minoris seu depositionis simplicis vel maioris seu degradationis secumferant omnino Summo Pontifici reservantur.

4. Hucusque locuti sumus de causis criminalibus, nunc de *causis contentiosis* dicendum. Patriarchas etiam in his causis iudicari a solo Romano Pontifice patet ex can. 15,3°. Episcopi vero pro constitutione hierarchica Ecclesiae ad quam pertinent, diversum forum in his causis habent. Etiam in his canonibus distinguuntur Episcopi qui Patriarchae vel Archiepiscopo non subiiciuntur, aut si subiiciuntur, domicilium vel quasi-domicilium extra patriarchatus vel archiepiscopatus habent, et Episcopi qui Patriarchae vel Archiepiscopo subiecti domicilium vel quasi-domicilium in patriarchatu vel in archiepiscopatu habent. Qui ad priorem speciem pertinent Episcopi sicuti Episcopi latini conveniri debent coram tribunalibus Sedis Apostolicae (c. 16, § 1, 1°). Qui vero ad alteram pertinent, pro diversitate causae forum diversum obtinent. Tres autem species tribunalium in MP nominantur. Aut iudicat ipse Patriarcha cum Synodo permanenti, aut Patriarcha solus vel cum duobus iudicibus ad normam can. 46 assumptis, aut tribunal patriarchale ad normam can. 85 constitutum. Episcopi autem de quibus loquimur, in causis contentiosis gravioris momenti, et si agatur de re pecuniaria, in illis in quibus agitur de summa vel re cuius pretium excedat triginta millia francorum aureorum, iudicantur a Patriarcha cum Eynodo permanente; in ceteris causis contentiosis Episcoporum iudicat Patriarcha sive solus sive cum duobus aliis iudicibus ad normam can. 46. Episcopi igitur semper iudicandi sunt a Patriarcha; non excluditur, ut liquet, delegatio alius personae quae eius vicem gerat. Sed hic ipsius personae Patriarchae vicem gerat oportet; non tantum in munere iudicandi eius substitutus sit, ut praeses tribunalis patriarchalis. Notandum quoque est can. 18 § 1, 1° competentiam ex valore rei desumptam introductam esse, sicuti in tribunalibus statalibus iam diu viget. Accuratior definitio competentiae Patriarchae iudicantis cum Synodo permanente relinquitur iudicio Synodi patriarchalis quae definire et, quoad fieri potest, recensere debet causas contentiosas Episcoporum gravioris momenti (§ 2).

Notandum quoque est extra patriarchatus Episcopos titulares in causis contentiosis non comprehendi can. 16 § 1, 1°; in patriarchatibus vero eos eadem ratione tractari atque Episcopos residentiales. Non enim conveniret eos hui subici foro Hierarchae loci; ex altera parte cum in Oriente non statim ad Sedem Apostolicam recurrendum sit quod incommodis non careret, propter ipsam

constitutionem hierarchiam patriarchatuum suadetur ut eorum causae contentiosae iudicentur a tribunali Patriarchae.

Quae can. 18 de competentia Patriarchae, cum vel sine Synodo permanenti praescripta sunt, secundum can. 20 § 1 intelligi debent etiam de Archiepiscopo et Synodo permanenti archiepiscopatus.

5. In can. 1557 § 1 sermo tantum est de Episcopis, in eodem can. § 2, 1° de Episcopis residentialibus. Commentatores vero CIC ex can. 215 § 2, 294 § 1 etc. deduxerunt etiam *Abbates et Praelatos nullius*, nec non *Vicarios* et *Praefectos Apostolicos*, itemque *Administratores Apostolicos, Vicarios Capitulares* nec non *omnes qui praesunt regimini* Episcopis esse aequiparandos; eos vero in causis criminalibus, si caractere episcopali careant, subici tribunalibus Sedis Apostolicae [28]. Idem ius non agnoverunt Vicariis Generalibus [29]. In MP haec expresse statuuntur in can. 16 § 1, 1° quatenus agatur de Hierarchis Patriarchae vel Archiepiscopo non subiectis, aut si subiiciantur, domicilium vel quasi-domicilium extra patriarchatum vel archiepiscopatum habentibus.

Diverso modo res se habet cum agatur de Hierarchis locorum Patriarchae vel Archiepiscopo subiectis. Hi, exceptis Syncellis, iudicari debent a tribunali ordinario sedis patriarchalis. Congruum est Syncellos iudicari a tribunali Ordinarii loci; excipiuntur Syncelli patriarchales, i. e. eparchiarum quae propriae sunt Patriarchae. Qui cum fere locum Patriarchae tamquam Hierarchae propriae eparchiae teneant, quasi Superiores tribunalis eparchialis habentur ideoque a tribunali sedis patriarchalis iudicari debent [30].

6. Codice I. C. iam stabilitum erat reservari tribunalibus Sedis Apostolicae iudicare Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptas, Congregationes monasticas etc. (can. 1557 § 2, 2°). Auctores etiam certas peresonas physicas his adnumerandas esse iudicaverunt [31]. In MP haec norma servata est, omissis exemplis, et additis explicite personis « physicis quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent ». Id pro tota Ecclesia Orientali valet. Quodsi autem principium idem est, pro omnibus territoriis, applicatio pro natura territorii est diversa. Nam non paucae personae physicae vel morales quae extra patriarchatus Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, in patriarchatibus subiiciuntur Patriarchae. Inter eas locum peculiarem obtinent

---

[28] F. Roberti, *loc. cit.*, p. 185.
[29] *ibid.*, nota 3.
[30] A. Coussa, *Epitome praelectionum de iure eccl. orient.*, pp. 379-383.
[31] F. Roberti, *loc. cit.*, pp. 186 s.

eparchiae, de quarum causis contentiosis iudicare est Patriarchae cum Synodo permanenti (can. 18 § 1, 2°). Ceterae personae physicae vel morales Patriarchae immediate subiectae conveniri debent coram tribunali sedis patriarchalis (can. 19, 2°), (exceptis controversiis ortis inter monasteria stauropegiaca non confoederata, in quibus Patriarcha libere iudicem nominat). Attentionem merentur peculiarem can. 19, 3° et 4°. Hic enim ab ordinario tribunali sedis patriarchalis iudicandae declarantur tum religiones iuris pontificii exemptione pontificia fruentes (exceptis monasteriis confoederatis iuris pontificii exemptione pontificia fruentia, quae a praeside confoederationis iudicantur, cf. can. 51 § 1) tum causae contentiosae vel criminales Superioris in religione iuris pontificii exemptione pontificia fruente qui in eadem religione Superiorem iudiciali potestate praeditum non habeat. Talis canon forte primo aspectu amirationem movere potest, cum subiiciat Patriarchis religiones vel Superiorem religiosum qui propter exemptionem pontificiam a potestate Patriarchae exempti habentur. Tamen animadverti debet differentia quae habetur inter Orientem et Occidentem. In Oriente Patriarcha habetur caput totius ritus ideoque etiam monachi ceterique religiosi eiusdem ritus ab eo pendere debent. Ex altera parte propter easdem rationes atque in Occidente conveniebat concedere religiosis libertates et immunitates quae earum progressui faverent. Non semper apparuit qua ratione haec duo componi possent. Benedictus XIV qui varia privilegia religiosis melchitis largitus est, noluit eos dici exemptos a potestate Episcoporum [32]. Ex can. citato apparet nunc in Oriente religiones iuris pontificii exemptione pontificia gaudentes admitti; sed propter condiciones peculiares Orientis Patriarcha certis praerogativis gaudet etiam quod exemptos huius generis atinet.

Notamus in fine quae in can. 19 de tribunali ordinario sedis patriarchalis statuuntur, non extendi ad tribunal ordinarium sedis archiepiscopalis, excepta num. 2 quod attinet ad Hierarchas locorum.

II. Postquam in tit. I CIC sermo fuit de foro competenti, tit. II de variis tribunalium gradibus et speciebus agitur. Quae de tribunali ordinario primae instantiae in can. 1572-1593 dicuntur, maxima ex parte in MP transierunt. Mutationes vero graviores inveniuntur in cap. II *de tribunali ordinario secundae instantiae,* ne-

---

[32] Cf. constit. « Demandatam » § 20 et Epistulam et Instructionem S. C. de Propaganda Fide, 3-5 aprilis 1784, *Codificazione can. orient.* ser. I, t. XV, nn. 400, 403; A. Coussa, *Epitome praelect.* ... t. II, 1941, n. 142, p. 124.

que mirum cum diversa constitutio hierarchica Orientis diversam hierarchiam tribunalium secum ferat. Ut iam ante notavimus, etiam hic duplex ordo servatur; *extra patriarchatus et archiepiscopatus* idem ius viget atque in Ecclesia latina. A tribunali Episcopi comprovincialis appellari debet ad Metropolitam, a causis prima instantia pertractatis coram Metropolita aliove Hierarcha loci qui Superiorem infra Romanum Pontificem non habet, appellatio fieri debet ad tribunal ab ipso stabili modo cum approbatione Sedis Apostolicae electum. In tertia instantia causa agitur coram tribunalibus Sedis Apostolicae.

Ordo differt vero *in patriarchatibus et archiepiscopatibus*. Quod hodie servatur ex evolutione historica explicari debet. Antiquis temporibus a sententia Episcopi appellatio fiebat ad Metropolitam, a sententia data a Metropolita in secunda instantia ad Patriarcham. Ita tres instantiarum gradus in ipso Oriente habebantur. Posterioribus temporibus, obsoletis praerogativis Metropolitarum, a sententia Episcopi directe et immediate ad tribunal sedis patriarchalis appellatio dirigebatur. Quid de tertia instantia? Considerari quoque debet causa quae in prima instantia coram tribunali sedis patriarchalis acta est. Iamvero in can. 73 statuitur, ut a tribunali Patriarchae vel Archiepiscopi iudicante in prima et secunda instantia appellatio fieri possit ad Sedem Apostolicam vel ad alios iudices a Patriarcha vel Archiepiscopo nominatos (§ 1). Aliis verbis Patriarcha causam committere quoque potest alii iudici seu alii Collegio trium iudicum ex ordine designatis ad tribunal sedis patriarchalis pertinentibus. Quoties vero ipse Patriarcha vel Archiepiscopus partes iudicis per se egit, appellatio interponi debet ad Sedem Apostolicam. Nam idem iudex bis eandem causam videre non potest neque de sententia a Patriarcha lata iudices inferiores iudicium ferre possunt.

Alii quidam casus in can. 72 considerantur: a) a *tribunali eparchiae Patriarchae vel Archiepiscopi propriae* (et a tribunali locorum patriarchatus vel archiepiscopatus ubi eparchiae erectae non sunt; nam haec illi in hac re aequiparantur), appellari debet ad Patriarcham vel Archiepiscopum, nisi ipse Patriarcha vel Archiepiscopus partem iudicis in tribunali eparchiae suae egerit. Hic non interponitur appellatio ad tribunal metropolitanum, cum non convenire videatur ut appelletur a sententia nomine Patriarchae data ad inferiorem iudicem (quamquam id obtinere potest in causa tractata in prima instantia coram Metropolita extra patriarchatus). b) a *tribunali regionali* seu eo quod pro pluribus eparchiis erectum est (can. 38), appellatio fieri debet iuxta casus, ad Patriarcham, ad Archiepiscopum vel ad Metropolitam. c) A *tribunali unico plurium*

rituum ad quod constituendum locorum Hierarchae variorum rituum iurisdictionem in eodem territorio intra patriarchatus obtinentes inter se convenerunt (can. 39), appellatio fieri debet ad tribunal designatum a Patriarchis partium diversi ritus in causa. Consentaneum enim est appellationem fieri ad unum ex Patriarchis; cum autem ex ipsa rei natura principium quo determinetur quis ex illis adeundus sit non appareat, id ipsorum consensui relictum est.

III. Cum ageremus de foro competenti Episcoporum, iam in canonibus invenimus mentionem tribunalis sedis patriarchalis et Synodi permanentis. De his CIC, ut manifestum est, tacuit, cum non habeantur in iure latino. Fieri autem non potuit quin in MP opportunae de his normae stabilirentur.

Ita in can. 85 statuitur obligatio erigendi in curia patriarchali *tribunal patriarchale,* a tribunali eparchiae Patriarchae propriae distinctum (§ 1). Cum enim ad hoc tribunal tamquam tribunal appellationis pleraeque causae deferantur, oportet illud melius quam tribunalia eparchialia instructum esse et maiore in toto patriarchatu consieratione gaudere. Cum autem sive propter difficultatem habendi viros doctrinae soliditate et peritia insignes sive propter sumtpus necessarios desiderandum sit ne numerus officialium nimis crescat, permittitur ut, exceptis iudicibus, auditoribus atque promotore iustitiae eaedem personae in utroque tribunali adhiberi possint (§ 3). Ceterum semper viget praescriptum can. 35: « Qui causam vidit vel in eadem causa operam praestitit in uno iudicii gradu, nequit in alio eandem causam iudicare aut partem assessoris agere ».

Graviora sunt quae in MP statuuntur de *Synodo permanenti.* Quae can. 86-91 dicuntur vere nova sunt in iure canonico Orientalium catholicorum.

Non quasi ipsa Synodus permanens ignota sit traditioni orientali. Antiquis Ecclesiae temporibus ortum habuit. Romani Pontifices ad graviora negotia tractanda Episcopos Urbi proximos et alios in Urbe degentes ad synodum convocabant. Similiter fiebat in partibus Orientis: Antiochiae praesertim et Hierosolymis idem usus per plura saecula viguit [33]. Nullibi autem haec Synodus maiorem celebritatem nacta est quam Constantinopoli. Sub nomine « synodus endemousa » in historia ecclesiastica magnum momentum habuit [34]. Titulus postea non bene intellectus latine synodi perma-

[33] J. Zhishman, *Die Synoden und die Episkopalämter in der morgenländischen Kirche*, Wiennae 1867, p. 4 nota 7).

[34] E. Herman, *Appunti sul diritto metropolitico nella Chiesa bizantina*, *Orientalia Christiana Periodica*, t. XIII (1947), pp. 523 ss.

nentis voce redditus est. Recentioribus temporibus in pluribus Ecclesiis dissidentibus constituta est; apud catholicos vero usque ad id tempus non existebat. Motu proprio antiqua haec traditio synodus permanentis instaurata est.

Ubi synodus permanens constituta est, eius competentia non limitatur ad iudicia, sed comprehendit omnes partes regiminis ecclesiastici. Cum MP tantum de potestate iudiciaria eiusque exercitio agat, hic de Synodo permanenti eatenus tantum sermo est quatenus tribunal ecclesiasticum est.

Synodus permanens componitur Patriarcha et quatuor Episcopis; ex quibus duo residentiales per vices ratione antiquioris ordinationis episcopalis determinantur ad quinquennium. Absoluto quinquennio eorum locum suscipiunt alii duo qui ratione antiquitatis ordinationis episcopalis immediate sequuntur. Ceterorum Episcoporum alter libere nominatur a Patriarcha, etiam inter Episcopos titulares. Alter ab Episcopis Patriarchae subiectis eligitur. Etiam hic titularis Episcopus esse potest. Sive hic sive ille iterum assumi potest ad ălterum quinquennium si ita placet ei qui eos elegit. Eodem tempore ac modo designandi sunt Episcopi qui vel electum a Patriarcha vel electum ab Episcopis, impeditos, substituunt. (can. 87, §§ 1-3). Ultima § huius canonis definitur qui Synodi permanentis sodales esse non possint. Apparet in MP studium componendi principium obiectivum designationis, quo sodales automatice si ita dicere fas est, sine electione, designantur et principium subiectivum quo voluntate electorum determinatur.

Can. 88 ordinatur modus substitutionis, can. 89 confirmatur competentia Synodi permanentis etiamsi eodem tempore Synodus patriarchalis vel electionum celebretur. Ubi Synodus permanens constitui non possit, ob gravem causam quae accuratius non definitur, sed esse potest v. g. deficientia numeri sufficientis Episcoporum, ut nostris temporibus in patriarchatu Alexandrino Coptorum, Sede Apostolica praemonita, Consilium patriarchale convocari potest, quod vices agat Synodi permanentis et duos tantum Episcopos, alterum ordinatione episcopali antiquiore inter Episcopos a Patriarcha dependentes, alterum ab Episcopis residentialibus electum comprehendit (can. 90).

Quae can. 85-90 praescripta sunt, can. 91 servanda dicuntur de Synodo permanenti in archiepiscopatibus, de Consilio archiepiscopali et de tribunali archiepiscopali.

IV. Innovationes MP contentas quas hucusque vidimus, nituntur praesertim diversa constitutione hierarchica Occidentis et Orientis. Habentur vero aliae *innovationes et differentiae* inter

utramque legem quae non peculiari indole iuris ecclesiastici orientalis explicandae sunt, sed *progressum generalem iuris intendunt.*

Hic imprimis loquendum est de Capite IV Partis I: « De modis evitandi iudicia ». In CIC hi canones ponuntur post absolutos omnes canones « de iudiciis in genere », sub Sectione II: De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis (= can. 1925-1932). Quamquam hic quoque ordo probabilibus argumentis defendi possit, auctori MP magis placuit loqui primo de modo evitandi iudicia et secundo de ipsis iudiciis. Iudex primo operam dabit componendi controversiam sine iudicio; quod si incassum cesserit, ad processum veniendum. In priore huius Capitis articulo: « De transactione » parvae tantum mutationes factae sunt; eo maiores autem in altero articulo: « De compromisso in arbitros ». Id iam externe apparet; nam in CIC haec materia 4 canonibus absolvitur, in MP vero 25. Porro in can. 1930, qui ad can. 1926 remittit, praescribitur ut serventur normae statutae a legibus civilibus. Hac praescriptione omissa, in MP ipso normae de compromisso in arbitros statuuntur. Hac ratione sine dubio melius intentio iuris ecclesiastici in hac materia servatur.

Nostrum non esse hic commentarium singulorum canonum dare; aliqua tamen adnotare placet.

Ex comparatione facile apparet in definiendis canonibus adhibitos fuisse « Formam Novi Ordinis Iudiciarii et Codicis processualis Status Vaticani » (Progetti di Nuovo Ordinamento Giudiziario e di Codice di Procedura Civile) et « Codicem iuris processualis » italicum. (Codice di Procedura civile). Tamen MP non in omnibus cum his convenit. Attentionem meretur quod in MP omittitur can. 1929 CIC et omnis mentio « arbitratorum » ut nuncupantur, qui de bono et aequo controversiam pertractant et transigunt; sed neque partes arbitris hanc facultatem concedere valent. Hac in re MP severius quam leges citatae statuit. (Cf. Progetti, art. 730 § 2; Codice di Procedura Civile, art. 822). In aliis pro natura rei partibus eorumque arbitrio limites latius patent. Ita in modo designandi arbitros (can. 102 § 1); in definiendo rationem procedendi (can. 107 § 1); in statuendo termino intra quem sententia proferenda est (can. 109 §§ 1 et 2; in admittenda appellatione (can. 120) etc.

Alia tribunali quod competens est ad causam definiendam in primo gradu, alia tribunali loci, ubi sententia prolata est, attribuuntur. Prius intervenit in omnibus vel nonnullis arbitris seligendis, nisi partes aliter convenerint (can. 102); idem tribunal adeundum est ab arbitris qui ipsi quavis coercitiva potestate carent, ut de poenis infligendis decernat (can. 107 § 2); dissidenti-

bus partibus de prorogatione termini proferendae sententiae a partibus vel a lege constituti, hanc decernere potest (can. 109); excepta sententiae correctione, de iuris remediis contra sententiam videt (can. 114). Ubi vero de sententia arbitrali agitur, intervenit tribunal loci in quo haec data est. Ita in can. 112 § 1 et 2: Sententia ab arbitris exarata ad cancellariam tribunalis eparchiae ubi sententia data est, deponi debet et vicarius iudicialis decretum confirmationis conferet; can. 115: de aliis iuris remediis contra sententiam videt iudex qui competens est ad causam ab arbitris definitam in primo gradu iudicandam, sed sententiae correctio de qua in can. 402 § 1 petenda est a iudice loci in quo sententia data est; can. 120: ad eum quoque appellatio a sententia arbitrali proponenda est; et can. 122 § 2: ad Hierarcham loci in quo data est sententia pertinet quoque executio nisi partes alium exsecutorem designaverint. Ex his manifestatur MP non velle subtrahere compromissum iurisdictioni iudicis qui competens est ad causam iudicandam; ex altera parte omnino opportunum videtur comittere sententiae executionem Hierarchae loci in quo prolata est, ideoque convenit tribunali huius loci tribuere quae ad ipsam sententiam confirmandam, corrigendam, revidendam pertinent.

V. Secundum caput quod vere novum dici debet est *Caput de iudicio contentioso coram unico iudice*. Hi canones sine dubio praesertim utiles sunt in Ecclesia Orientali; nam cum numerus sacerdotum sit potius restrictus, omnia quae ad processum faciliorem et expeditiorem reddendum conferunt, libenter recipiuntur; tamen considerationes quae ad hoc additamentum componendum tribuerunt, vim quoque generaliorem habent.

Primo videndum est quae causae subiaceant iudicio unius iudicis. Si iam in CIC graviores causae tribunalibus collegialibus reservantur, id vel magis fit in MP. In utraque lege (MP can. 46 et CIC can. 1576 § 1, 1°) tribunali collegiali trium iudicum reservantur 1) *causae contentiosae* a) de vinculo sacrae ordinationis; b) de vinculo matrimonii firmo can. 498; c) de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae. In MP autem adduntur ad has causas non solum causae de oneribus sacrae ordinationi adnexis et de separatione coniugum, sed etiam d) de statu personarum, de natalibus, legitimatione prolis, de iuribus et praecipue de dote vel de alimentis a validitate matrimonii dependentibus; f) de iure fundationis seu patronatus ad personam moralem spectante; g) de re patrimoniali cuius pretium excedit summam decem milium francorum aureorum.

Eaedem quoque *causae criminales* quae secundum CIC can. 1576 § 2, 2° reservantur tribunali collegiali, enumerantur quoque in can. 46, § 2, 1° MP, hac tantum statuta differentia, quod in MP omnes causae reservantur tribunali trium iudicum, etiam causae de delictis quae depositionis minoris seu depositionis simplicis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel depositionis maioris seu degradationis poenam important; nempe eae quae secundum CIC pertractanda sunt coram tribunali quinque iudicum. Ex his apparet ambitum causarum quae coram unico iudice tractari possunt, in MP limitari. Omnes causae quae momentum peculiare habent sive ratione sacramenti, ut ordinis vel matrimonii, sive ratione status personalis, sive ratione valoris et pretii rei, reservantur tribunali collegiali. Ita aditus aperitur normis quibus processus coram unico iudice facilior simpliciorque redditur.

Numerus personarum qui in causa interveniunt, limitatur: « Partes defendere se valent per se ipsas vel per unicum advocatum » (can. 454). « Paritibus non licet plures quam quatuor vel quinque testes adducere » (can. 4551). Termini breves sunt: « Intra triduum ab exhibita petitione iudiciali, iudex praecipere debet communicari exemplar eius reo (can. 457). Hic inter decem dies respondere debet, actori ad replicandum idem terminus concedi potest (can. 458). Elapsis his terminis iudex partes citet ut coram se compareant, adsignato termino non infra decem nec supra triginta dies (can. 459). In audientia probationes colliguntur et statim in eadem audientia proceditur ad discussionem oralem (can. 461 et 462). Fine discussioni orali imposito, si iudex ex actis et probatis censeat causam sufficienter instructam, poterit sententiam vel statim pronuntiare vel eandem differre, non tamen ultra tres dies (can. 463). Facultas fit iudici, si ita necessarium ducit, alterarum statuere audientiam (can. 464). Sententiae textus quamprimum edendus est, ad summum intra quindecim diec (can. 467). Ex omnibus his apparet studium excludendi dilationes inutiles et expeditam reddendi administrationem iustitiae, quod tantum confert ad bonum commune.

VI. Inter partes quae in MP amplius tractantur quam in CIC, ultimo loco dicendum est *De iudicio criminali.* Iam ex ipsa divisione in MP adhibita, apparet maius momentum his canonibus in nova lege tribui. In CIC in Sectione I Partis I quae inscribitur: « De iudiciis in genere » (can. 1556-1924) simul agitur de iudicio contentioso et de iudicio criminali, ita tamen ut attendatur imprimis ad iudicium contentiosum. Aliquae normae de iudicio criminali adduntur dein in Tit. XIX posito sub Sectione II: « De pecu-

liaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis ». In MP contra, Pars I « De iudiciis in genere » finem habet, postquam sermo fuit de actionibus et exceptionibus (5-225). Secundae parti: « De iudicio contentioso » (226-452) opponitur tertia Pars: « De iudicio criminali » (507-576). Etiam ex numero canonum manifestatur maior consideratio huic parti data. In CIC habentur 27 canones, in MP 70; imo si cap. II « De ipso iudicio criminali » respicitur, 5 canonibus CIC respondent in MP 48. Tali ampliore tractatione obtinetur non parvus progressus claritatis et exactitudinis.

VII. Praeter has additiones et mutationes maiores in MP non paucae breviores inveniuntur ex quibus aliqua exempla hic tantum lectori praebemus.

1. In nonnullos canones *recepta sunt responsa Sedis Apostolicae,* praesertim Pontificiae Commissionis ad canones CIC authentice interpretandos. Ita can. 28 MP (= 1565 CIC) § 1 declaratur forum contractus adiri posse, *nisi pars e loco discesserit;* can. 416 (1890): ad tribunal ad quod interposita est appellatio, acta *iudicialia* — non sola acta *causae* — transmittenda sunt; can. 430 (1903): *ne causae separationis coniugum quidem* transeunt in rem iudicatam; can. 478 (1971) § 1, 1°: coniuges inhabiles sunt ad accusandum si ipsi fuerint impedimenti *vel etiam alia ratione, nullitatis matrimonii* causa *directa et dolosa;* ibid. § 3: in causis de nullitate matrimonii, ut acatholici, sive baptizati sive non baptizati, partes actoris agere queant, indigent facultate impetranda a S. Congregatione S. Officii; can. 497 (1989) § 1: sententiae in causis matrimonialibus... retractari semper poterunt... *non autem ab eodem tribunali vel ab alio eiusdem gradus...;* can. 498 (1990): Ut Hierarcha loci, sollemnitatibus recensitis praetermissis matrimonii nullitatem *sententia* declarare possit... satis est ut ex certo et authentico documento.. constiterit existere impedimentum... simulque pari certitudine, *ex certo et authentico documento vel etiam alio legitimo modo habita,* apparuerit dispensationem super his impedimenti datam non esse...

2. Aliae mutationes idcirco introductae sunt ut solvant *dubia quae* de mente CIC ortae erant. Ita in can. 16 § 1, pr. legitur: «... coram tribunalibus Sedis Apostolicae *conveniri* debent » (cf. CIC can. 1557 § 2: « Tribunalibus... reservatur iudicare »). Promulgato CIC Card. Lega iudicavit personas in hoc canone enumeratas semper coram tribunalibus Sedis Apostolicae iudicandos esse, sive actores sunt, sive conventi [35]. E contrario huic quoque canoni

[35] M. Card. Lega, *Commentarius in Iudicia ecclesiastica*, t. I, Romae 1938, p. 36, n. 2.

alii applicaverunt principium generale: « Actor sequitur forum rei » [36]. In MP haec altera sententia recepta est. (Item dicendum sine dubio de can. 17, 18, 19, quamquam, ob externas rationes forte, modus dicendi minus clarus quam in can. 16).

In can. 189 (1672) § 1 dicitur ius habere obtinendi a iudice rei sequestrationem qui *probabilibus saltem argumentis* ostenderit se super aliqua re ab alio detenta ius habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur. Similiter in can. 413 § 2 (1887) definitur appellationem incidentalem fieri posse *intra terminum peremptorium decem dierum a die quo ipsi appellatio prirncipalis notificata est.*

In can. 204 (1684) § 1, formula CIC mutata, accuratius stabilitur qui actionem ad rescissionem actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo proponere possit. Canones 226 et 227 adiuncti sunt ut accuratius definiatur quid requiratur ut iudex causam cognoscere vel, introducta causa, ex officio procedere possit.

3. Aliae mutationes eo tendunt ut *modum dicendi magis accuratum* proponant, v. g. nunc dicitur in can. 9 § 1 « utrum potestas delegata fuerit singillatim an collegialiter exercenda » (can. 205 § 1 CIC: « utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter.. »); item in § 2.

In can. 1729 § 2 CIC sermo est de iudice qui « quod ad se attinet, nihil *excipiendum* putaverit ».. In MP can. 251 § 2 dicitur, reservata hac voce artis partibus: « si iudex non contradicat ».

In can. 253, 1° MP scriptum est « si praeter rem petatur foenus », correctas verbis can. 1731, 1° CIC: « si in locum rei petatur pretium, foenus aut aliquid ».

Huc referri potest quoque quod MP generatim, ubi de interventu tribunalis superioris sermo est, loquatur de tribunali appellationis v. g. in can. 125 § 3 (1610) 127, (1612) §§ 1 et 2, 129 § 2 (1614), 130 § 3 (1615), 136 § 1 (1709), 410 § 1 (1884), 426 (1899) etc. correcta aliquatenus terminologia CIC minus constanti (Sed vide can. 232 = 1710 CIC, ubi distinguitur « Hierarcha cui tribunal subiicitur » et « tribunal appellationis »).

4. In aliquibus canonibus MP *amplectitur solutionem paulo diversam a CIC,* vel *novam quandam normam* addit in re non considerata a Codice I. C.

Ita in MP iudici maior facultas fit procedendi *ex officio* in colligendis probationibus aliisque actibus iudicialibus. Compertum sane est processum contentiosum constitui inter partes et partium

---

[36] F. Roberti, *loc. cit.*, p. 187; S. Goyeneche, *De Processibus*, t. I, Romae s d., p. 41.

esse probare sua asserta. Tamen boni publici quoque interest quod iudicia secundum veritatem fiant et non propter experientiae defectum vel dolum partis astutioris pars innocens succumbat. Tales consierationes quae iam in foro civili ortae erant, etiam in MP vim habuerunt. Ita in can. 1619 statuitur: « Si actor pro re sua probationes quas afferre posset, non afferat vel reus exceptiones sibi competentes non opponat iudex ne suppleat [37]. « In MP can. 134 § 1 vero adduntur in principio verba: « Nisi lex aliud caveat »; in fine vero: « excepto casu evidentis negligentiae vel doli partium, vitandae iniustae sententiae causa ». Congruit cum hoc canone additamentum factum ad can. 1742 § 2 (= MP 264 § 2) in quo iudici facultas fit interrogandi partes de factis quae non publice interest ut extra dubium ponantur, ex officio non solum ut illustretur probatio adducta, sed etiam « ne iniustam ferat decisionem propter evidentem partium negligentiam vel dolum ». In can. 281 (1759) § 3 in hoc casu ei ex officio testes inducere permittitur. Secundum can. 347 (1824) § 1 etiam ex officio decernere potest an et quomodo documenti exhibitio a parte recusata facienda sit. In can. 390 (1866) § 2 admittitur moderata disputatio coram iudice... « si eam iudex utilem censeat vel utraque pars postulet ». In CIC legitur: « si, alterutra vel utraque parte postulante, iudex eam utilem censeat atque admittat.

Res iudicata secundum can. 1904 § 2 « facit ius inter partes et dat exceptionem ad impediendam novam eiusdem causae introductionem ». Secundum can. 431 vero « facit ius. et impedit *vel officio iudicis* vel exceptione novam eiusdem causae introductionem ». In can. 443 MP (1916) addita est § 3, secundum quam: « advocatus aliusve cui gratuitum patrocinium commissum sit, si munus suum debita diligentia non exerceat, ad illius observantiam a iudice revocandus est, ad instantiam partis cuius intersit vel promotoris iustitiae *aut etiam ex officio* ». In canone 160 § 2 repetuntur quae can. 1645 § 4 CIC praescribuntur de destruendis epistulis quae nihil ad causae meritum conferunt et etiam subscriptis quae sint certo calumniosae, aditur vero: « nisi iudici ob peculiares rationes aliud videatur ».

Si his canonibus maior libertas interveniendi ex officio iudici tribuitur, aliis canonibus melius providetur promotori iustitiae et defensori vinculi, praesertim can. 57-62, 64 quibus praescripta can. 1586 ex parte melius proponuntur, ex parte novis augentur ita ut eorum munus et interventus clarius circumscribantur.

---

[37] Quantam potestatem interveniendi ex officio in CIC iudici iam concessa sit, apparet ex elencho facto a F. Roberti, *loc. cit.* p. 504-505.

In can. 318 § 2 (1795) accuratius indicantur quae requiruntur ut quis ad munus periti assumi possit. In can. 432 § 1 (1905) adduntur termini inter quos remedium extraordinarium restitutionis in integrum sive a minoribus sive a maioribus aetate aut a personis moralibus peti possit.

In can. 26 § 2 determinatur forum iudiciale eius cuius nec domicilium nec quasi-domicilium nec locus commorationis notus est. Can. 1561 de eo silet.

Secundum can. 192 (novus) iudex potest ei cui sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris concedit, praeviam imponere cautionem de damnis, si ius suum non probaverit, resarciendis. Can. 194 et 195 (novi) potestas fit iudici providendi interim necessariae praestationi alimentorum si petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem facta est.

His exemplis alia adiungi possunt; sed quod in animo habuimus, illustrare aliquatenus nempe mutationes quas MP in textu CIC factae sunt, iam nobisi satis obtinuisse videmur. Quamquam igitur nova lex pro Orientalibus data in plerisque sequitur CIC, tamen sive propter adiuncta peculiaria Orientis sive propter scientiae progressum non pauca nova introduxit; ex quibus plura aliquando in ius latinum quoque assumptum iri exspectari potest. Hac ratione a Motu proprio magnum debitum quod adversus CIC habet, aliquatenus restituetur.

Aemilius Herman S. J.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA COMMUNISTARUM

(Can. 1240 par. 1 et Decretum S. Officii 1 julii 1949)

Sunt qui putant vi Decreti S. Officii diei 1 julii 1949 sepulturam ecclesiasticam negandam esse *omnibus* communistis [1]; alii autem aliter sentiunt affirmantes eam communistis sive gregalibus sive excommunicatis concedendam esse [2]. Et sic in praxi, dum quidam communistis denegant, quidam autem eis concedunt ecclesiasticam sepulturam.

Quid dicendum faciendumque?

In decreto S. Officii diei 1 julii 1949 *nil de sepultura ecclesiastica.* In ipso habentur definitiones declarationesque quaedam quoad doctrinam communismi activitatemque communistarum (n. 1); expresse quaedam prohibentur actiones, scilicet « nomen dare vel favorem praestare partibus communistarum » (n. 1), « edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere » (n. 2); et qui talia scienter et libere posuerint, indigni ad sacramenta declarantur (n. 3); tandem censura latae

---

[1] « Dopo il decreto del S. Ufficio circa gli aderenti al Comunismo (omissis) si può e deve concludere che il can. 1240 par. 1 è da applicarsi ai comunisti di cui il decreto del S. Ufficio nelle sue risposte ad 3um e ad 4um » (A. Boschi, *Funerali ai comunisti,* in *Perfice Munus!* n. 3, 1950 p. 75).

[2] « Anche qui temo si stia per uscire dalla legge e da consuetudini che possono considerarsi come legge o quasi: (omissis) ora il decreto contro il Comunismo colpisce due specie di comunisti: quelli che abbracciano la dottrina materialistica e anticristiana del Comunismo e sono scomunicati e quelli che hanno dato il nome a partiti comunisti..... Ora possiamo affermare che *nè gli uni nè gli altri vanno per sè privati della sepoltura ecclesiastica.*

a) Lo scomunicato sarà ben difficile sia colpito da una sentenza che lo dichiari tale o venga come tale condannato. Ma senza questa sentenza il codice non lo priva della sepoltura ecclesiastica (can. 1240 par. 1) (omissis).

b) Quanto agli altri comunisti di cui i numeri 1, 2, 3, del decreto sopra citato si deve dire che ad essi pure si può e quindi si deve concedere la sepoltura, sebbene peccatori pubblici e manifesti e quindi esclusi dai sacramenti. Eccone la ragione:

E' avvenuto, per forza della consuetudine, che appunto anche i peccatori pubblici e manifesti vengano sepolti coi riti della Chiesa. Coloro che abitualmente lasciano la Messa festiva e la Pasqua, coloro che dovunque e continuamente bestemmiano ecc. ecc. non vengono privati della sepoltura ecclesiastica.

Presso di noi un solo genere di peccatori pubblici e manifesti è privato della sepoltura ecclesiastica: i concubinari che non si siano convertiti in morte ».

(Notificazione dell'Archidiocesi di Firenze, pubblicata nel *Bollettino,* riportata da *Settimana del Clero* - 30 - 9 - 1949; cfr. *Perfice Munus!* (2) 1 - 2 - 1950 n. 3 p. 77).

sententiae speciali modo sedi apostolicae reservata decernitur iis qui doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, defendunt vel propagant (n. 4).

Nihil proinde in praefato decreto directe seu explicite de sacramentalibus. Ex hoc tamen silentio nullum erui potest argumentum ad solutionem quaestionis propositae inveniendam.

Ad quaestionem enim solvendam comparationem instituere oportet inter ea quae in decreto quoad communistas habentur et normam iam in Codice promulgatam circa privationem ecclesiasticae sepulturae (can. 1240 par. 1).

Statuit can. 1240 § 1. « *Ecclesiastica sepultura privantur,* nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:

1) *Notorii apostatae a christiana fide,* aut *sectae haereticae* vel *schismaticae* aut *sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti;*

2) *Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;*

3) (omissis)

4) (omissis)

5) (omissis)

6) *Alii peccatores publici et manifesti.* »

Decretum autem S. Officii descriminat *gregales* communismi seu eos qui libere et scienter communistarum partibus nomen dederunt vel favent (de quibus nn. 1, 2, 3, decreti) ab iis qui affecti sunt excommunicatione, utpote apostatae a fide catholica, quia vel profitentur vel defendunt vel propagant doctrinam materialisticam et antichristianam (de quibus n. 4 decreti).

Attento decreto S. Officii collato cum citato can. 1240 par. 1 est ne *omnibus* communistis deneganda ecclesiastica sepultura vel discrimen illud, quod decretum statuit, etiam in casu valet ut tantum communistis excommunicatis sit deneganda non autem aliis?

Qua ratione, si omnibus vel etiam tantum excommunicatis deneganda sit, qua ratione, quaeritur, seu cuinam personarum cathegoriae — cum plures et taxative statutae sint in citato canone — recensendi sunt communistae, quibus, in casu, deneganda esset sepultura ecclesiastica?

In casu enim certa extare deberet norma juridica, cum « omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sint, nisi eadem *a jure expresse* priventur » (can. 1239 par. 3)[3].

Normae, quae urgendae in casu videntur, hae esse possunt:

---

[3] Cfr. Wernz-Vidal *Jus Canonicum*, T. IV vol. 1 (ed. 1934 Romae) p. 699.

1) Quia « *Notorii apostatae a christiana fide* » (n. 1 cit. can. 1240 par. 1).

Certe ad normam can. 1240 par. I privari debent ecclesiastica sepultura notorii apostatae a fide christiana, sed *primo* ex hac norma patet quod in casu deneganda esset tantum communistis *excommunicatis* non autem *gregalibus* seu iis de quibus in nn. 1, 2 et 3, cum *tantum* ii, de quibus in n. 4, dicantur *apostatae*, non autem alii. *Secundo* communistae excommunicati seu ii qui doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur sunt ne « *notorii apostatae a fide christiana* »?

